Piepmeyer

SCRIPTORES RERUM

GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE

HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ

SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS

BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

ANNALES ALTAHENSES MAIORES.

HANNOVERAE

IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI

1868.

Tome 4

ANNALES

ALTAHENSES MAIORES

EX RECENSIONE W. DE GIESEBRECHT
ET EDMUNDI L. B. AB OEFELE

IN USUM SCHOLARUM
EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1868.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNORUM.

EX PRAEFATIONE WILHELMI DE GIESEBRECHT.

Annales Altahenses maiores, postquam triginta fere annis abhinc nomen eorum ab oblivione vindicavi fragmentaque dispersa singulari opusculo colligere conatus sum[1]*, inter praecipuos medii aevi fontes a viris doctissimis merito habebantur. Quamobrem fieri non potuit, quin opus illud egregium, cui Staindelius, Aventinus, Brunnerus tot et tantas res gravissimas de Conrado II, Heinrico III. et IV. imperatoribus debuerant, ubique summo cum studio quaereretur. Sed omnis illa opera, proh dolor! in irritum cecidit. Nusquam enim archetypum annalium Altahensium vel exemplum aliquod ex eo descriptum repertum est, ut denique plane desperandum videretur, librum illum adeo desideratum unquam rursus in lucem protractum iri.*

Nihilo tamen secius obstinato animo in opinione perseverabam, annales illos etiam nunc esse servatos.

Nam compertum habebam, Aventini collectaneis quibusdam, quae in monasterio Altahensi inferiore anno 1517 *ipse sibi confecerat, etiam extremis annis saeculi superioris Franciscum Töpsl, canoniae Pollingensis praepositum, usum fuisse et indicem eorum diligenter composuisse, quem Aretinus publici iuris fecit*[2]*. Neque vero ex notis huius indicis dubitari posse mihi videbatur, quin Aventinus in istam farraginem etiam annales Altahenses vel integros vel certe maxima ex parte descriptos recepisset. Sperabam igitur, fore ut*

1) Annales Altahenses, aus Fragmenten und Excerpten hergestellt von W. Giesebrecht. Berlin 1841. 2) Beyträge zur Geschichte und Litteratur. 1805. Mai. p. 527.

ex his collectaneis annales illi deperditi nobis redderentur, cum codicem tanti pretii, etiamsi ad tempus latitaret, nostra aetate incredibili incuria periisse vix mihi persuaderem. Neque ea spes me fefellit. Mense enim Februario huius anni Edmundus L. B. ab Oefele, iuvenis studiis historicis mihi coniunctissimus, laeto vultu collectanea illa Altahensia Aventini mihi attulit, quae in apparatu proavi sui, clarissimi illius editoris Scriptorum rerum Boicarum, fortuna arridente repererat. Mox, librum avide perscrutantes, annales Altahenses prope integros in eum transscriptos esse et virorum doctorum votis editione eorum tandem satisfieri posse, summo cum gaudio perspeximus.

Collectanea illa complent codicem chartaceum 106 *foliorum forma quadrata maiore. Maximam partem occupant annales Fuldenses et nostri annales, partim ab Aventino ipso partim a librario nescio quo ex codicibus Altahensibus descripti. Sed iis et initio praemissa et in fine adiecta et in medio passim interposita sunt multa alia, quae in libris et privilegiis Altahensibus Aventino notabilia visa erant quaeque hanc ob causam in eadem folia et ante et post annales descriptos retulit. In calce ultimi folii ipse adnotavit:* Haec ex inferiore Alta anno Christi 1517 conlegi aestate[1]. *Plagulas sine iusto ordine compositas et inscriptas post in* 13 *fasciculos*[2] *complicandas et membrana*[3] *vestiendas curavit. Accidit vero, ut glutinator plagulis commutatis res iam confusas etiam magis perturbaret.*

1) Aventinum Nonis Iuliis Altaham inferiorem et pridie Kalendas Aug. Osterhofen advenisse ac rursus 4. Nonas Octobr. per illud monasterium iter fecisse, produnt eius ephemerides (Verhandlungen des historischen Vereins für den Regenkreis. 1836 p. 41 seq.). Eadem aestate Aventinus etiam alterum collectaneorum volumen Altahae confecit, ex quo Andr. Felix ab Oefele chronicon Hermanni abbatis multaque alia edidit. 2) Praeter decimum, qui decem folia habet, omnes sunt quaterniones. 3) In involucro nunc legitur: „Hystoria regum Francorum et sequentium Romanorum imperatorum ab anno Domini 714 usque ad annum 1083 (sic!) conscripta in Altach" et infra: „H. D. Hunds Liberey."

Cui incommodo ut aliquatenus mederetur, Aventinus numeros foliis adscripsit et signa fecit, quibus interruptum rerum nexum lector restituere posset, vacua denique pagina in medio codice (fol. 56*) usus est, ut indicem rerum adiungeret. Cum aliquanto post in componendis annalibus suis Boiorum collectanea Altahensia adhiberet, ad marginem codicis plurima ex Reginone, Herimanno Augiensi, Sigeberto Gemblacensi aliisque auctoribus nec non ex privilegiis imperatorum, quae ei Ratisbonae praesto erant, levi calamo adspersit.*

Ordo codicis, ut nunc se habet, hic est:

f. 1. *Variae notae, praesertim ex libro traditionum ab Hermanno abbate confecto.*

f. 2. *Annales Fuldenses ab anno* 714—739, *a librario Aventini descripti, quibus ipse nonnullas notas ex annalibus Altahensibus adiecit.*

f. 3—6. *Excerpta ex privilegiis imperatorum, ducum, comitum, ceterorum et ex Vita Godehardi posteriore c.* 1—5.

f. 7. *Annales Fuldenses* 740—771, *a librario descripti; in calce Aventinus ipse annales Altahenses* 708—712 *addidit.*

7′—8′. *Annales Altahenses* 747—813, *excerpti ab Aventino, quibus ipse tum plurimas notas, maxime e Fuldensibus annalibus depromptas, et inter lineas et in utroque margine adiunxit.*

f. 9—55′. *Annales Fuldenses a.* 814 - 900. *Maximam partem absolvit librarius, cui se saepius in opere substituit Aventinus, qui post ex annalibus Altahensibus notas singulis annis adscripsit.*

f. 56. *Index voluminis.*

f. 56′. *Pars Ludovici de regno Lotharii (M. G. Legg. I,* 517*). Cf. f.* 72.

f. 57. *Annales Altahenses* 899—927, *a librario exscripti.*

f. 57′. *Annales Altahenses* 928—951, *ab ipso Aventino exarati.*

f. 58—65. *Annales Altahenses* 952—1038, *partim ab Aventino, partim a librario eius transscripti.*

f. 65'. *Notae brevissimae ex variis diplomatis depromptae, quae ad saeculum decimum tertium et quartum pertinent.*

f. 66. 67. *Excerpta ex chronicis Romerici (i. e. Ekkehardi) et Hermanni abbatis Altahensis.*

f. 68. 69. *Breves annales Altahenses* 741—1039, *quos Aventinus ex maioribus, ut nunc mihi persuasi*[1], *excerpsit et compilavit, priusquam priorem partem eorum fusius in collectanea sua transscribere in animum induceret. Nam praeter duas notas, quarum una*[2] *sola negligentia scriptoris a verbis annalistae veteris recedere videtur, omnia in maioribus annalibus multo accuratius referuntur, et haec duo folia iam ante f.* 57—65 *ab Aventino inscripta fuisse, ipse codex ostendit*[3]. *Quamobrem hi minores annales pro nihilo fere habendi esse videntur. Veruntamen cum ad verba maiorum annalium restituenda non plane negligendi sint, hoc loco eos proponi a re nostra haud alienum mihi visum est.*

f. 68. Anspertus ex Blithylt, filia Luthārii, genuit {
Arnoldum ducem, eius filius Arnulfus, hic Flodolphum episcopum et Anchisum;
Feriolum episcopum, Ucetiae martyr *(sic)*.
Modericum episcopum Harisii;
Tharsicia, Rodonis virgo vestalis *(sic)*.

741. Natus est Thassilo dux. Monasterium Alta construitur divo Mauricio.

742. Natus est Carolus magnus.

743. Carolomannus et Pipinus pugnant cum Utilone ad Lech.

1) In errorem incidi, cum hos annales, priusquam inspicere liceret, pro vetustiore opere haberem, quod in conficiendis annalibus maioribus iam adhibitum esset. Cf. Geschichte der Deutschen Kaiserzeit II, 538. 2) Ad annum 842. Alteram notam, quae a. 1027 adscripta est, Brunnerus quidem in Annalibus Boicis P. II. col. 209. ex chronico Altahensi laudat, vehementer tamen dubito, num ex maioribus nostris annalibus deprompta sit. Certe non ante annum 1029 Heinricus rex in disciplinam Egilberti episcopi Frisingensis venire potuit, cum hoc demum anno Bruno episcopus, primus regis magister, obiret. 3) Fasciculus, qui fol. 66—71 complectitur, antea A 1. 2. 3. signatus erat.

750. Parochiae divisae consentiente Utilone duce, Vivilo Ba., Iohannes Saltz., Gaibald Ratisbo., Ermbertus Frisi., Wilibaldus Eistet.

815. Lutharius rex in Boiariam venit.

822. Ludovicus imperator regnum dividit inter filios.

842. Rabanus expellitur de monasterio, sequenti anno depositio regis.

844. Lutharius rex cum orientalibus Francis in Sclavia, regem Gestimulum occidit, Sclavos subegit.

862. Morbus in Germania.

867. Ventus; sequenti cometa, fames, pestilentia.

872. Aestas ferventissima; sequenti anno fames in Germania, locustae.

889. Ungari egressi.

893. Bellum magnum inter Ungaros et Boios.

907. Adalpreht occisus.

943. Praelium cum Ungaris in Weles, occisi sunt a Bois.

958. Signum crucis in vestibus.

972. Otoni Theophania Graeca mittitur, nubit Romae Otoni secundo, deinde in Franciam redeunt.

973. Otones cum uxoribus 14. Kal. April. Quindilaburg *(sic)*, pascha 10. Kal. April. Advenere legati Graecorum, Beneventanorum, 12 primates Ungarorum, Bulgariorum duo, legati Harioldi ducis, Bonezlavus dux Sclavienus. Misego dux Sclavienus filium obsidem misit. Obiit Non. Maii.

974. Henricus dux Boiorum, Abraham episcopus cum Bolizlavone et Misigone inierunt consilium, quomodo regnum Otonis disperderent. Beratholdi consilio Oto congregatis principibus, quorum consilio mittit legatos Popponem episcopum et Gebehardum comitem ad ducem vocatque ad concilium omnesque conscios coniurationis; quodsi venire re- f. 68'.
cusent eo, proscriptos *(sic)* iri. Henricus continuo venit ad imperatorem cum omnibus consciis, sese dedunt imperatori. Dux Ingelheym, Abraham Corobiae servatur. Antequam res finita, contra Haroldum regem Danorum auctorem mali, domitat *(sic)*.

975. Boemanni familiam s. Mauricii occiderunt. Oto Boiemos vastat, incendit.

976. Imperator Bois *(sic)* armis adit, Henricum ducem consequitur, vindicantem dominium imperatoris. Comites, episcopi ad imperatorem deficiunt, dux evasit. Secundo imperator Boios intrat, Henricum pellit, Otoni duci Bois commendat.

977. Imperator Boemiam vastat, Bolislaum supplicem venire coegit. Interim dum haec aguntur, Henricus dux et alter eiusdem nominis, nepos eius, invaserunt Bazzowa. Imperator ubi hoc audivit, propere arma movet, urbem obsidet, ponte facto in deditionem coegit, inde in Saxoniam revertitur, in gratiam ipsum Henricum accepit.

978. Bolislaus ad imperatorem pascha venit, pacem impetrat, domum dimittitur. Aderat et Henricus et ille alius eiusdem nominis, comprehensi, in exilium acti.

982. Pugna cum Saracenis infelix. Obiit Oto dux Boiorum, nepos imperatoris ex fratre, succedit Henricus.

983. Oto imperator Romae moritur.

989. Henricus dux Caryntbiorum obiit.

990. Regularis vita Altae restauratur per Erchanbertum abbatem.

991. Gothehardus fit monachus.

994. Obiit Wolfgangus.

995. Henricus dux obiit, succedit filius Henricus.

998. Mulier Altae enixa 5 filios.

1003. Henricus, Pertholdi comitis filius, et Bruno frater regis, ambo Bolislavones, Bolanicus et Boiemicus, rebellant, Henricus ad regem fugiens in Gibicanstein custoditur.

1006. Fames.

f. 69. 1027. Chunradus rex fit imperator, filius eius rex Henricus dux Bavariae constituitur, qui praecedenti anno rex factus, educatus Frisio episcopo et Andex.

1030. Imperator in Ungariam properat, natali sancti Albani dominica die Altae pernoctat. Rediit sine effectu, fame compulsus. Wien ab Ungaris capta. Miseco dux Poloniae, Bezbrien frater eius, Ulricus dux Boemiae. Liutizi regionem imperator caepit, victo Misicone duce Polonie.

1032. Ulricus dux Boiemiae in exilium agitur. Bratislaus filius suscepto ducatu ab imperatore rebellat. Henricus rex expeditione facta eundem subegit.

1033. Henricus rex et dux Boiorum veniens in Ungariam, pace firmata cum rege Ungariorum, revertitur domum. Filius autem Stephani Ungarorum regis paulo post obiit, Henricus dictus.

1034. Guntharii heremitae rogatu Radesbonae dux Ulricus reconciliatur imperatori redditurque Boiemiae, qui tum excecat fratrem Germarum.

1035. Adalpero dux Caryntbiae deponitur, succedit Chunradus. Mortalitas animalium, apium in Boiaria. Sequenti anno hiems valida. Gebehardus episcopus Ratisbo-

nensis obiit, succedit Gebehardus frater imperatoris. Inde (?) rex Henricus ducit Chunigundam, nuptiae Niomagi.

1038. Gothebardus obiit, sterilitas, fames. Stephanus Ungariae rex, avunculus Petri regis, quoniam caruit filiis, hunc adoptavit.

1039. Imperator natale Gosolariae *(sic)* celebrat.

f. 69′—71. *Annales Altahenses maiores* 1039—1041, *primo a librario, tum ab Aventino ipso descripti.*

f. 72. *Pars Caroli de regno Lotharii. Cf. f.* 56′. *Accedunt notae aliquot geographicae.*

f. 72′ *vacuum.*

f. 73. *Alexandri II. bulla supposita de fundatione Wissegradensis ecclesiae, descripta ex codice interpolato Cosmae Pragensis. Cf. Mon. Germ. SS. IX. p.* 84.

f. 73′. *Privilegium Heinrici IV. imperatoris pro ecclesia Pragensi usque ad verba:* communi principum aspirante suffragio per D. *Ex Cosma Pragensi l. c. p.* 91. 92.

f. 74. 75. *Privilegium Friderici II. imperatoris, quo duci Austriae privilegium avi sui, quod minus vocatur, confirmat. Cf. M. Boic. XXVIII,* 1. *p.* 354—357. *Sequitur locus ex Cosma Pragensi descriptus:* Factum est, ut dux Boemie — vita, laus, victoria. *M. G. l. l.* 92. 93. *Spatio octo linearum, quod in folio* 75′ *etiam relictum erat, Aventinus usus est, ut annales Altahenses ad annum* 1041 *a verbis:* tempore autem prenotatae expeditionis *usque ad:* revertuntur. Idem Liutpoldus *inscriberet.*

f. 76—79. *Annales Altahenses* 1044—1047. *Init.:* Frater vero consentire noluit. *Fin.:* inde domum conversus.

f. 80—82. *Annales Altahenses* 1041—1044. *Init.:* Radasponae regi redeunti. *Fin.:* rex dare voluit.

f. 83—103. *Annales Altahenses* 1047—1073. *Init.:* praedictam intrat Mantuam. *Fin.:* in illa regione excreverunt. *Subiunxit Aventinus aliquot notas de interitu Thassilonis ducis.*

f. 103'. 104. *Varia ex variis diplomatis excerpta.*
f. 105. 106. *Europae provinciae.*
f. 106'. *Notae variae.*

Ex ea, quam exposuimus, codicis conditione consequitur, ut in edendis nostris annalibus nihil magis necessarium fuerit, quam primum, quicquid iis ex Aventini farragine tribuendum erat, ab alienis accurate secernere, tum suo quidque loco collocare. Quae cum Oefelius summa cum diligentia absolvisset, iam manifestum erat, usque ad annum 898 *Aventinum non plene quidem annales nostros in collectanea transfudisse, maiorem tamen partem excerpendo in suum usum vertisse, tum vero mutato consilio ab anno* 899 *usque ad finem integros annales praeter usitata quaedam verba, quae facile suppleri possent, fideliter transscripsisse; de suo ingenio eum raras tantum voces eusdemque leves mutasse intelligebamus. Paucissima relinquebantur, quae dubitationem moverent, utrum ex nostris annalibus an ex alieno fonte Aventinus hausisset. Quae non plane omittenda, sed uncis, quibus inclusimus, notanda nobis videbantur. Sed id quoque Oefelius mox vidit, priorem annalium partem a posteriore tam esse diversam, ut totum opus neque ab uno eodemque auctore compositum neque uno eodemque tempore conditum esse possit.*

Prior enim pars, quae usque ad annum 1032 *decurrit, auctoritate vetustiorum annalium Hersfeldensium et Hildesheimensium plerumque nititur. In monasterio Altahensi eam conscriptam esse patet, neque tamen lectorem effugiet, non monachum Bavaricum, sed clericum quendam in monasterio hospitantem, ecclesiae Hildesheimensi adscriptum, eam condidisse*[1]*, et Wolfherium Hildesheimensem scriptorem esse Oefelius primus intellexit. Wolfherius enim, postquam Hers-*

1) Cf. ad annum 1007: *nostro episcopo in suae abrenunciationis testimonium episcopalem ferulam tradidit, et usque apud nos retinetur.* Bernwardus episcopus Hildesheimensis erat, qui ferulam illam tunc accepit, ut in Vita Bernwardi c. 43 plenius narratur.

feldiae in artium studiis sub Albwino magistro aliquamdiu versatus est, se ad monasterium Altahense contulit, cui Ratmundus, Godehardi episcopi nepos, tum praefuit. Abbas Saxonem, cuius condiscipulus Hersfeldiae fuerat, benignissime excepit, eumque per complures annos in monasterio studiis retentum[1] *saepius precibus adiit, ut de vita Godehardi adhuc superstitis librum componeret. Ille, diu voluntati abbatis adversatus, tum demum, cum Altaha relicta circa annum* 1035 *ad Hildesheimensem ecclesiam revertisset, illam Godehardi vitam, quae prior nunc vocatur, conscribendam suscepit*[2]. *De his rebus Wolfherius ipse in praefatione operis nos certiores facit, neque vero de annalibus, quos Altahae composuerat, quidquam prodit, quamquam nullum alium auctorem eorum fuisse, nemo non videbit.*

Annales Hildesheimenses, quorum archetypum diversis manibus exaratum adhuc exstat, Wolfherius quasi pro fundamentis suorum annalium habuit, patriasque historias usque ad annum 1032, *ubi quondam operi finem impositum fuisse archetypum docet, diligenter exscripsit. Hildesheimenses annales, ut notissimum est, usque ad annum* 973 *praecipue Hersfeldenses nunc deperditos reddunt. Wolfherius vero annales Hersfeldenses non solum ex Hildesheimensibus cognoverat, sed ipsos legit et plurima ex iis in suos annales transtulit*[3]. *Neque continuationem, quam Hersfeldiae repererat, neglexit, summamque ei gratiam habemus, quod plenius quam Lambertus aliique eam exscriben-*

1) Si catalogo monachorum, qui Godehardi temporibus vixerunt (M. G. SS. XVII. p. 368), fidem habemus, Wolfherius inter fratres Altahenses tum receptus est. Sed nusquam se monachum Altahensem ipse profitetur, et Othlon, qui eius condiscipulus Hersfeldiae fuerat, eum in Libro visionum (M. G. SS. XI. p. 378) canonicum Hildesheimensem appellat. Cf. annales Hildesheimenses ad annum 1039 (M. G. SS. III. p. 103). 2) Cf. Pertzium (M. G. SS. XI. p. 162. 163) et Hüfferum (Geschichtschreiber der Deutschen Vorzeit, XI. Jahrhundert, 2. und 3. Band, p. XVI. XVII.) 3) De annalibus Hersfeldensibus et Hildesheimensibus vide M. G. SS. III. p. 18 seq.

dam curavit; gravissimas enim res sic solus servavit memoriae posteritatis. Post annum 982 *annales Hersfeldenses admodum steriles erant, et ad annum* 997 *ultimum eorum vestigium in opere Wolfherii deprehendisse mihi videor. Annales Hildesheimenses et Hersfeldenses ante Wolfherium Altahensibus vix innotuerant, invenit tamen apud eos annales Alamannicos, quos fortasse Erkanbertus abbas, ad reformandum monasterium anno* 990 *de Suevia ascitus, secum inde attulerat. Vetustis annalibus, quos Alamannicos vocamus, in exemplo Altahensi continuatio quaedam accessit, quae ad finem fere saeculi decimi decurrit. Nam usque ad annum* 985 *Wolfherius ex illis annalibus nonnulla deprompsit, quae cum continuationibus Murbacensi, Augiensi, Sangallensi nec non cum annalibus Weingartensibus et Sangallensibus maioribus saepius ad litteram conveniunt*[1]. *Dubitari nequit, quin Altahae etiam breves Bavarici annales ad manum Wolfherii pervenerint. Vix enim aliunde locos quosdam memorabiles de ducibus Bavariae et de proeliis cum Ungaris commissis depromere potuit. Sed de origine et conditione istorum annalium certi quidquam contendere non audeo, quamquam eos Ratisbonae in monasterio sancti Emmerammi, quod per Romualdum abbatem cum monachis Altahensibus arctius coniunctum erat, conditos et inde Altaham delatos esse, persuasum habeo*[2].

1) De annalibus Alamannicis et continuationibus eorum vide M. G. SS. I. p. 19 seq. 2) Ad annos 741 et 742 Wolfherii verba cum annalibus Iuvavensibus maioribus, ad annos 742 et 743 cum Iuvavensibus minoribus conveniunt. Haesito vero, num ipse annales Iuvavenses (M. G. SS. I. p. 87—89, III. p. 122) in manu habuerit, cum brevissimae notae eius generis etiam in alios annales facile transscribi potuerint. Confidentius de annalibus S. Emmerammi locutus sum, quamquam unus tantum locus (ad a. 819) ex vetustis illis annalibus, qui maiores S. Emmerammi vocantur (M. G. SS. I. p. 92. 93), descriptus videtur. Multa enim in sequentibus occurrunt, quae vix aliunde quam ex continuatione quadam antiquissimorum istorum annalium profecta esse possunt et modo cum annalibus minoribus S. Emmerammi (M. G. SS. I. p. 93. 94 cf. XVII. p. 571), modo cum annalibus Ratisbonensibus (M. G. SS. XVII. p. 582—584) cognationem quandam produnt.

Praeter annales Wolfherius alia quoque scripta in rem suam convertit, ut Genealogiam domus Carolingicae (ad a. 747), Vitam Bonifacii (ad a. 750), Vitam Bernwardi (ad a. 1007); etiam Librum pontificalem Romanum (ad a. 800) inspexisse videtur.

His subsidiis, quae Wolfherius ad annales suos conscribendos adhibuit, non semper cum consilio usus est. Interdum enim ei accidit, ut easdem res bis ad diversos annos diversis verbis repeteret[1], tum in temporibus definiendis plus semel lapsus est et in alios quoque manifestos incidit errores. Verumtamen non modo ab aliis tradita compilavit, sed etiam de suo ingenio nonnulla adiecit, quae monachis Altahensibus commodo fore sperabat. Mandavit litteris quaedam, quae temporibus eius facta erant, sed nondum annotata videbantur. Descendit porro ad obscura ecclesiae christianae in Bavaria primordia, de quibus parum vel vere nihil in vetustis annalibus invenerat, ut opera sua tenebras illas aliquatenus illustraret. Neque tamen id ei ex sententia successit. Nam quaecunque de parochiis Bavariae anno 750 divisis refert, omnino improbanda sunt, neque illud, quod monasterium Altahense anno 741 fundatum iudicat, nihil dubitationis habet.

Wolfherii annales non Altahae latitasse, sed etiam in Hersfeldensium et Hildesheimensium notitiam pervenisse, certa testimonia sunt. Wolfherius ipse, cum post Godehardi mortem circa annum 1054 iterum vitam eius describere aggrederetur et de Altahensi quoque monasterio ordine ei narrandum esset, suos annales magna ex parte transscripsit[2], neque Lambertus Hersfeldensis in condendo opere suo celeberrimo annales Altahenses adhibere supersedit. Sed iam ante Lambertum Wolfherii annales Altahae e pulvere ad lucem

1) Cf. de morte Adalberti ad annos 907. 908, de interitu Eberhardi et Gisilberti ad 938. 939, de expeditione Liudulfi in Italiam facta ad 950. 951. 2) Cf. Vitam Godehardi posteriorem, praesertim cap. 1—5. M. G. SS. XI. p. 198. 199.

reducti et a monacho quodam diligentissimo monasterii continuati erant.

Annales nostros iam inde ab anno 1033 *non a Wolfherio scriptos esse, facile sibi quisque persuadebit. Ille monasterium Altahense anno* 741 *fundatum esse docuerat, ad annum* 1033 *annales nostri referunt, tunc monasterium post* 302. *aedificationis annum incendio consumptum esse; auctor igitur, quisquis fuit, fundationem anno* 731 *adscripsit, de qua re optime ei cum Herimanno Augiensi, cum Wolfherio minime convenit. Neque amplius nostri annales cum Hildesheimensibus eodem modo, quo ante, consentiunt, immo vero in plurimis rebus discrepant. Incendium monasterii Altahensis nostri annales* 4. *Non. Martii, Hildesheimenses* 6. *Kal. Martii adscribunt. Mors Emerici, quam Hildesheimenses ad annum* 1031 *referunt, in nostris annalibus male ad annum* 1033 *narratur. De Conrado in ducem Carinthanorum promoto in annalibus Hildesheimensibus ad annum* 1036 *recte agitur, in nostris perperam ad annum* 1035. *Hildesheimenses annales ad annum* 1036 *de synodo generali Triburiensi verba faciunt, nostri de generali concilio Saligenstadensi. Rerum a Conrado imperatore annis* 1037 *et* 1038 *gestarum nostri annales multo maiorem copiam habent quam Hildesheimenses, quibuscum multo minus consentiunt, quam cum deperdita illa historia, cuius fragmenta apud Annalistam Saxonem exstant. Persuasum igitur habeo, scriptorem Altahensem continuationem illam Hildesheimensem, quae inde ab anno* 1033 *usque ad initium anni* 1040 *decurrit*[1], *haudquaquam inspexisse, sed proprio Marte vetustos annales monasterii produxisse usque ad sua tempora. Si qua ad annum* 1036, *praesertim de episcopis tum temporis mortuis, ad*

1) Inde ab anno 1034 usque ad finem hanc continuationem Hildesheimensem a Wolfherio ipso scriptam esse, id quod iam alii conieceruni, mihi quoque veri simillimum videtur. Multus est auctor de laude Albwini Hersfeldensis, cuius virtutes Wolfherius ubique summo studio celebrat.

verba annalium Hildesheimensium propius accedunt, ea postea addita esse coniiciam. Nam continuationem illam Hildesheimensem monachis Altahensibus, cum arctissima eorum coniunctio cum ecclesia Hildesheimensi satis logum tempus permaneret, diutius ignotam fuisse, minime crediderim.

Mirum profecto est, quod in annalibus nostris ad annos 1033—1040, *quamvis accurate res plerumque tradantur, tamen errores graves, praecipue in temporum definitione, haud raro deprehenduntur. Qui cum etiam ad insequentes annos nonnunquam nos offendant*[1], *in eam opinionem adductus sum, inde ab anno* 1033 *usque ad finem* (1073) *annales uno quasi impetu uno eodemque tempore ab uno auctore scriptos fuisse. Sic enim facile est explicatu, quomodo scriptor, licet res optime cognoverit, tamen in temporibus longe remotis saepius titubaverit. Quae mea opinio mihi eo confirmari videbatur, quod ubivis in hac altera nostrorum annalium parte de rebus affinitate quadam inter se connexis agatur, ratio describendi nusquam mutetur, neque unquam genus scribendi variet.*

Quis monachus ille Altahensis fuerit, qui post triginta annos Wolfherii opus excepit, cum de se et rebus suis nihil fere ipse in annalibus prodiderit, incompertum habemus. Aventinus quidem in Wenceslao, qui ab anno 1055 *monasterium Leonense in dioecesi Brixiana rexit, tum et Altahensibus abbas praefuit* (1063—1068), *annalistam deprehendisse sibi videbatur. Sed coniectura eius*[2], *quamquam viris doctis quondam probabatur, stare nequit, nisi forte quis totam enarrationem inde ab anno* 1068 *ab alio scriptore post additam esse demonstrare conatus fuerit*[3]. *Id tamen pro certo habeo,*

1) Cf. a. 1060. 1061. 1068. 2) Ann. Boiorum ed. Gundling p. 525 et in syllabo auctorum. 3) Res desperata, nam luce clarius est, unum eundemque scriptorem de Ottone Nordheimensi ad annos 1065. 1068. 1070 agere et haec omnia litteris consignata esse post annum 1070.

monachum illum Altahensem, qui Wolfherii annales continuaverit, arctissime Wenceslao abbati coniunctum fuisse, et in eius societate per complures annos inter Longobardos vitam egisse. Multus enim est de laude Wenceslai abbatis, et de rebus Italicis diserte ubique loquitur, nec non Italorum mores bene se novisse ipse prodit[1]. *Ubi ad annum* 1068 *de morte Wenceslai agit, in haec verba prorumpit:* Multi eorum, quibus praeerat in utroque monasterio, solent adhuc protestari una voce, similem illi pietate patrem se nunquam habuisse et si post habituri sint, nimium desperare. *Wenceslaum illum cum Bohemis coniunctionem quandam habuisse, iam nomen tunc inter Germanos inusitatum indicare videatur. Quamobrem ex ore eius annalistam plurima de iis, quae de rebus Bohemicis in opus suum transfuderit, accepisse opinor. Neque tamen minore veneratione, quam abbatem suum, monachus Altahensis Guntherium illum prosequebatur, qui cancellarius quondam Italicus sub Heinrico III. imperatore anno* 1056 *ecclesiae Bambergensi praefectus erat et in reditu a celeberrima peregrinatione ad sepulchrum Domini facta anno* 1065 *diem supremum obiit. Multa de hoc Guntherii itinere ex litteris eius ad Bambergenses missis monachus in opus suum recepit et morte episcopi relata haec addit:* Luctum inconsolabilem suis dereliquit. Ut enim cum pace omnium dicamus, nostris temporibus illo in virtutibus maior rarus quisquam surrexit aut nullus, et vix credi potest, si post eum iam talis sit aliquis surrecturus. *Itaque etiam Guntherio et Bambergensibus annalista noster arctius coniunctus fuisse videtur, neque mirum est, quod ad res Bambergenses saepius revertitur.*

1) Cf. ad annum 1064: *Usum Longobardorum iam didicerat plane, quia multa verbis audacter minari soleant, quae tamen opere nullatenus adimplere audent*, et ad ann. 1068: *Itali, sua superbia elati et velut natali odio Teutonicum ducem audire dedignati, incondito clamore cuncta coeperunt turbare.* Episcopos Brixianos, Veronenses, Tridentinos, Tarvisienses inde ab anno 1055 mortuos scriptor ordine refert.

Ex iis, quae a Wenceslao et Guntherio quondam audiverat, imprimis opus suum monachum Altahensem contexuisse, mihi persuasum est. Praeterea de multis rebus in monasterio suo facili negotio certior fieri poterat. Florentissimae enim tum erant res Altahenses; intimam cum multis coenobiis in Germania, Italia, Bohemia consuetudinem monachi colebant; undique litterae abbati afferebantur, hospites ad monasterium devertebant. Praesertim de rebus in Ungaria gestis optime Altahenses instructi erant; nam saepius imperatores cum maximis copiis in eam terram proficiscentes ipsi videbant, et fere quotidie inter eos hospitabantur, qui aut eo ibant, aut inde domum revertebantur. Non igitur est, cur miremur, quod in res Ungaricas verba annalistae tanta ubertate redundant. Sed etiam de Anglia a Normannis subacta nonnulla ab iis acceperat, qui eidem bello interfuere, *ut ipse ad annum* 1066 *refert. Sic scribenti non defuit copia rerum, quas universas ut ad singulos annos ordine disponeret, diplomata, necrologia, commentarii de viris illustribus mortuis et de palatiis, ubi imperatores dies festos celebraverant, aliaeque notae historicae subsidio ei videntur fuisse. Annales maiores, quos ante eum alii composuerant, parum eum inspexisse iudico. Quamquam cum Herimanno Augiensi easdem fere res tradit et interdum vel similibus verbis utitur*[1]*, ut non dubitem, quin eius librum inter scribendum evolverit, tamen rarissime vestigia eius persequebatur. Annales Sancti Emmerammi saeculo undecimo scriptos, quorum fragmenta nuper prodierunt*[2]*, a scriptore nostro adhibitos esse, non negaverim, sed fragmenta illa tam exilia sunt, ut certi quidquam statuere metuam.*

Monachus Altahensis uno impetu, ut diximus, opus

1) Cf. adnotationes ad annos 1043. 1052. 1054. Etiam de anno fundationis, ut iam supra dictum est, annalista noster cum Herimanno consentit. 2) M. G. SS. XVII. p. 574. 575.

suum videtur absolvisse[1]*; quod circa annum* 1075, *nisi fallor, factum est. Res usque ad mensem Augustum anni* 1073 *prosequutus, multa deinde mala in Saxonia excrevisse refert. Scripsit igitur aliquanto post annum* 1073, *sed ante annum* 1076. *Nam reformandae ecclesiae haud dubie studiosissimus, post certamen inter imperium et sacerdotium exortum de maiestate imperatoris et de seditiosis principibus nequaquam tam aperte disseruisset, ut fecit. Ottonem Nordheimensem, qui libertatem Altahensem deminuerat, ubique vehementer in eum invehens, de multis criminibus suspectum reddit; id quod certo non fecisset, si annales tum demum absolvisset et retractasset, cum ille inter propugnatores ecclesiae iam excelleret. Insequenti tempore paucissimi erant, qui de imperio et de rebus ecclesiasticis idem sentirent, ac monachus noster; quae praecipua causa fuisse videtur, cur opus eius praeclarum, quamquam res gravissimas magna cum industria descripserat coloribusque vegetissimis quasi depinxerat, diu inter homines vix circumferretur. Neque Lambertus, qui priorem partem nostrorum annalium in rem suam converterat, neque Hildesheimenses, cum sequenti saeculo interruptos suos annales longius producerent, quantum ego video, continuationem cognoverant. Ne Ekkehardus quidem, qui in bibliothecis Bambergensibus magnam librorum copiam evolverat, in notitiam annalium nostrorum venit. Latitabant ergo Altahae, ubi solus Hermannus abbas, antiquitatum monasterii sui studiosus, opus oblivione obrutum e pulvere saeculo decimo tertio paulisper protraxit et ex eo notabilia quaedam in suos libros transscripsit. Pauca tum in codicem tabularum et relationum, qui in tabulario caesareo Vindobonensi nunc tenetur*[2]*, tum in librum de institutione mona-*

1) Quae ad annum 1069 referuntur, post mortem Alexandri II. (1073) manifesto scripta sunt. De rebus, quae ad Ottonem Nordheimensem spectant, cf. supra pag. XVII. adnotationem 3. 2) Notae annorum 990. 991. 997 in hunc Herimanni codicem transscriptae sunt.

sterii Altahensis[1] *inde recepit, plura exemplo chronici Ekkehardiani, cui proprios annales adiuncturus erat, interserenda et adiicienda curavit*[2]. *Tum rursus in tenebras annales nostri redierunt.*

Dum apud nos opus monachi Altahensis negligitur, in Ungaria, ubi nescio quo casu innotuerat, avide exploratum est. Iam sub fine saeculi decimi tertii Simon de Keza in chronico suo[3] *multa ex monacho Altahensi deprompsit, tum in medio saeculo decimo quarto auctor chronici, quod Iohanni de Thwrocz post tributum est*[4], *quam plurima ex eodem fonte hausit, sed uterque mirum in modum, suae nationis studio ductus, Teutonici monachi sententias et verba pervertit*[5].

Inter nostrates primus Iohannes Staindelius, presbyter Passaviensis, in annalibus nostris curam et operam posuit. Cum circa annum 1486 *priorem partem chronici sui generalis conscriberet, molem eius adauxit plurimis locis ex monacho Altahensi depromptis, sed origo eorum usque ad nostram aetatem ignorabatur, quia Staindelius praesidia sua nunquam diserte indicaverat. Tum Aventinus, ut supra diximus, anno* 1517 *annales fere integros Altahae in collectanea sua recepit et plurima ex iis in Annales Boiorum transtulit. Wigulaeus Hundius et Christophorus Gewoldus, in quorum manus Aventini collectanea post pervenerunt, annales Altahenses parum curaverunt*[6]. *Eo magis in rem suam convertit Andreas Brunnerus in altera parte Annalium Boiorum, quam anno* 1629 *edidit. Non in*

1) Mon. Germ. SS. XVII. p. 369. 2) Auctarium Ekkehardi Altahense in Mon. Germ. SS. XVII. p. 360—365. 3) Endlicher, Monumenta Arpadiana p. 83 seq. 4) Schwandtner, Scriptores rerum Hungaricarum I. p. 47 seq. 5) Vide ea, quae in opusculo meo de annalibus Altahensibus p. 29—32 et infra in adnotationibus attuli. 6) In Metropoli Salisburgensi II. p. 4 Wenceslaus, abbas Altahensis, annalium Boioariae scriptor, laudatur, sed ex Aventini Annalibus Boiorum, Mabillonius (Ann. ord. S. Benedicti IV. p. 468) Hundii verba repetit, Mabillonii Ioh. Bapt. Lackner in Memoriali Altahae inferioris (Passavii 1779) p. 76. Nemo eorum annales nostros noverat. *De his annalibus,* inquit Lackner, *hodie vix fragmenta supersunt*

codice quidem Altahensi, cuius post Staindelium et Aventinum nusquam mentio fit, sed in eisdem collectaneis, quae nobis adhuc praesto sunt[1]*, Brunnerus nostros annales haud dubie legit, quos tanti fecit, ut se eos plerumque de rebus saeculo undecimo gestis sequutum esse ipse aperte fateretur*[2].

Post Brunnerum etiam in collectaneis Aventini nostri annales vix a quoquam lecti videntur. Laudantur quidem in Annalibus Boiorum, quos Iohannes Adlzreitter edidit, sed ex Brunnero. Quae Hansitius in Germania sacra II. p. 162. 247 *ex chronico Altahensi affert, ex codicibus quondam Altahensibus nunc Vindobonensibus*[3]*, non ex nostris annalibus deprompta sunt. Andreas Felix ab Oefele denique, cum alterum volumen ab Aventino Altahae confectum magna cum diligentia perscrutaretur et ex eo praeter alia etiam Hermanni abbatis annales publici iuris faceret, nostro volumini nescio quo casu similem curam impertire supersedit. Quo factum est, ut nostri annales denuo immerita oblivione premerentur et nunc demum, octingentis fere annis postquam scripti sunt, primum typis mandarentur. Posthac vero monacho Altahensi, cui maxima ex parte debentur, locus ille, quo medio inter Herimannum Augiensem et Lambertum Hersfeldensem multis nominibus dignus est*[4]*, nunquam profecto denegabitur.*

Restat, ut de editionis nostrae ratione pauca adiungam. Constat, Aventinum eundem codicem Alta-

1) Laudat ex chronico Altahensi II. col. 209, quae ex mea sententia non annalistae, sed Aventini sunt, de Heinrico III. in arce Andex educato. Cf. supra pag. VIII. adnot. 2. 2) *Nostri annales, quos fere sequimur. — Altahense chronicon optimae notae — per haec tempora optima fide scriptum.* Cf. Annales Brunneri II. col. 176. 204. 237 in editione Leibnitiana (Francofurti 1710). 3) Ex codice Hermanni abbatis in tabulario caesareo: Reichssachen Loc. 244. 14 A. et ex codice bibliothecae caesareae hist. prof. 989. Cf. M. G. Legg. II B. p. 170, SS. XVII. p. 371. 4) Cf. orationem meam academicam: Über einige ältere Darstellungen der Deutschen Kaiserzeit (München 1867).

hensem descripsisse, qui in Staindelii manu fuerat, sed exemplum vetustum, non autographum scriptoris fuisse, ex eo colligitur, quod apud utrumque menda deprehenduntur, quae librarii, non auctoris esse solent[1]. *Nos religiose Aventini vestigia sequuti, Staindelium, qui saepius verba ex suo arbitrio mutavit, modo adhibuimus*[2], *ut aut locos apud Aventinum corruptos corrigeremus aut aliquot voces in altera parte annalium ab eo omissas suppleremus. Usque ad annum* 896 *nihil nisi Aventini excerpta proposuimus*[3]. *Mediocri negotio haec excerpta fragmentis quibusdam, quae iam Georgius Waitz V. Cl. ex Staindelio collegerat*[4], *augeri poterant, sed quae sic allata essent, iam aliunde melius nota sunt, ac ne integritas quidem annalium hoc modo restituta esset. Vel in rebus quas vocant orthographicis scripturam ita retinuimus, ut in farragine Aventiniana repereramus. Nam cum Aventinum et eius librarium, quamquam interdum vacillarent, tamen vetustae scribendi rationi plerumque studuisse pateat, satius nobis videbatur, parum mutare, quam nimium. In quibus rebus si quid correximus, accurate adnotatum est praeter levissima quaedam librarii peccata*[5], *quae tacite emendavimus.*

Minoribus litteris impressa sunt, quae in priore parte annalium Wolfherius ex annalibus Hersfeldensibus, Hildesheimensibus, Alamannicis mutuatus est, quoad aliunde haec iam innotuerant. Ubi Wolfherius cum annalibus Iuvavensibus vel Ratisbonensibus et cum Lamberto consentit, minores litteras non admisimus, quia non in aperto est, unde Bavaricas res Wolfherius

1) *Luzici* pro *Liutizi* ad annum 1031, *Tusciam* pro *Troiam* ad annum 1038 etc. 2) Staindelii autographo (in bibl. regia Monacensi cod. Lat. 732), non editione Oefeliana usi sumus. 3) Nimis obscuras notas Aventini in hac parte aliquoties ex vetustissimis annalibus, quos Wolfherius sequutus erat, paucis verbis supplevimus. 4) Göttingische gel. Anzeigen 1842. p. 386—388. 5) Plerumque scripsit *nunccii* et, litteras *c* et *t* in codice vetusto non bene distinguens, *Frantiam, pontifitiam* etc.

hauserit, et multis locis dubitari potest, utrum Lambertus verba sua ex annalibus Hersfeldensibus an ex Altahensibus descripserit.

In edendis nostris annalibus maiorem laboris partem Oefelius suscepit. Ego nihil aliud feci, quam ut verba scriptoris, quae ex codice restituerat, retractarem et varias lectiones subiungerem. Notas, quas annalibus apposui, lectoribus usui futuras esse spero.

Scribebam Monachii die 28. *Novembris* 1867.

WILHELMUS DE GIESEBRECHT.

I. PARS PRIMA
AUCTORE WOLFHERIO HILDESHEIMENSI.

A. ANNALES EXCERPTI AB AVENTINO.

708. Pipinus dominatur[1]. Chonreth Britannus rex Romam ivit, fit monachus ibi. f. 7. in calce. A. Hers.
709. Durus, deficiens fructus. A. Hers.
710. Pipinus in Alamanniam. A. Hers.
711. Nimia inundatio aquarum. A. Hers.
712. Mors Heriberti regis Langobardorum. A. Hers.
715. Obiit Tagobertus rex[2]. f. 2. in marg. A. Hers.
718. Vastat Carolus Saxoniam plaga magna. A. Hers.
719. Obiit Ratbodus rex. Suesionum victi Franci. A. Hers.
720. Pugnavit Carolus contra Saxones. A. Hers.
722. Magna fertilitas anni. A. Hers.
723. Duo Drogonis filii ligati, unus obiit, Carlus infirmatur. A.H. et Alam.
727. Sanctus Egbertus obiit. f. 2' in marg. A. Hers.
732. Carolus pugnavit contra Saracenos die sabbati. A. Hers.
733. Ecclypsis solis. A. Hers.
734. Carolus perrexit in Fresiam. A. Hers.
735. Vascones vastat. Beda obiit. A. Hers.
736. Initium Herfeldensis caenobii. A. Hers.
737. Carolus pugnavit contra Saracenos in Gothia. A. Hers.
738. Carolus Saxoniam vastat. A. Hers.
739. Carolus Provinciam intravit usque Massiliam. A. Hers.
740. Sine ulla hostilitate. f. 7. in marg. A. Hers.

741. Natus est Thassilo[3]. Monasterium Altah construitur divo Mauricio[4].

742. Natus est Carolus magnus[5].

1) Cf. annales Nazarianos in editione Freheriana ad a. 707. et Hildesheimenses. Nota annalium nostrorum de morte Drogonis (conf. ann. Hersfeldenses), quam Staindelius servavit, apud Aventinum non invenitur. 2) Apud Staindelium ex annalibus Altahensibus haec leguntur: 716. *Carolus pugnavit contra Radbolum.* 717. *Carolus pugnavit contra Francos (in Vinciaco) dominica die ante pasca.* Cf. annal. Hersf. et Hild. 3) Cf. annales Iuvavenses maiores. 4) Cf. Lambertum. 5) Cf. annales Iuvavenses maiores et minores et Lambertum.

743. Carolomannus et Pipinus pugnaut cnm Outilone ad Lehhae[1].

A. Hers. 746. Burchardus fit episcopus Wirziburgensis[2].

f. 7'. A. Hers. 747. Carlomannus Romam pergens fratri regnum relinquit.

Gen. dom. Car. Anspertus ex genere senatorum duxit filiam Lutharii, nomine Blithilt, genuit

ex ea
- Arnoldum, is genuit Arnolfum, Arnolfus genuit Flodolphum episcopum et Anchisum, is Pipinum;
- Feriolum, Feriolus episcopus in Ucetia civitate martyr ibi sepultus;
- Modericum; in Harisio sepultus episcopus;
- Tharsiciam; virgo vestalis in Rodonis civitate.

A. Hers. et Hildesh. 748. Grifo fugit in Saxoniam, inde fugiens petiit Baioarios et Hiltrudam sororem Pipini cum Thassilone filio parvulo acquisivit.

A. Hers. 749. Grifo reversus de Saxonia.

A. Hers. (Ottenb.) 750. Pipinus fit rex. Parochiae Boiariae distinguuntur consentiente Utilone iussu Zachariae, Vivilo episcopus Bathavinus, Iohannes Saltzburg, Gaibalt Ratisbone, Ermbertus Frisingin, Wilibaldus Eistat factus[3]. [Super constructo, id curante Utilone duce, stat Altheae imago latericia coctilis: Utilo dux fundator. Virgilius et Sydonius papae scribunt contra Bonifacium de clerico baptizante in nomine patria et filia et spiritus sancti. Zacharias in Germaniam scripsit de Bonifacio[4].]

A. Her. Alam. 751. Lantfridus dux obiit. Zacharias papa obiit, Stephanus electus occisus, alter Stephanus eligitur.

A. Hers. 752. Gripho obiit.

A. Hers. 753. Stephanus papa ad Pipinum veniens defensionem petit contra Haistulphum.

A. Hers. 754. Papa duos filios Pipini ungit reges.

A. Hers. 755. Bonifacius obiit.

A. Alam. 756. Stephanus papa obiit.

A. Hers. 757. Organa venere in Franciam.

A. Hers. 758. Pipinus tributum Saxonibus 300 equos imposuit.

A. Alam. (Sang. mai.) 760. Sanctus Otmarus Warini et Ruothardi potentia oppressus obiit.

A. Hers. 764. Conventus Pipini magnus Carisiaci. Hiems dura.

A. Hers. 765. Ruodgangus episcopus adfert sanctum Gorgonium, Naborem, Nazarium.

1) Cf. annales Alamannicos ad a. 742. et annales Iuvavenses minores ad a. 743. 2) Aventinus omisit: *Sanctus Wigbertus migravit ad Christum*, quae apud Staindelium leguntur. Cf. ann. Quedlinburgenses. 3) Haud dubie hic Wolfherius Vitam Bonifacii auctore Willibaldo cap. 7. secutus est. Cf. Vitam Godehardi posteriorem cap. 2. 4) Uncis inclusa Aventinus eodem calami tractu exaravit, quo priora; vehementer tamen dubito, num ex vetustis annalibus Altahensibus descripserit. De imagine Utilonis certum non habemus. De Bonifacio vide eius epistolas (Jaffé, Bibl. III. p. 167).

766. Victi Sclavi in Weitahaburg[1] a Francis. A. Hers.
767. Paulus papa obiit. A. Alam.
768. Pipinus Aquitaniam subiecit. Waifarius occisus. Obiit Pipinus 8. Kal. Octobris ad Sanctum Dionysium. A. Hers.
770. Sanctus Otmarus ad Sanctum Gallum transfertur. A. Alam. (Sang. mai.)
771. Carolomannus frater Caroli obiit. A. Hers.
772. Hirminsul fanum et Eresburch. A. Hers.
773. Carolus, Italiam ingrediens, Papiae obsidet Desiderium. A. Hers.
774. Desiderius in Franciam ductus. f. 8. A. Hers.
777. Carolus in Saxonia Podrespunnum placitum habuit. A. Hers.
778. Carolus pugnavit contra Saracenos, Saxones Loganahi vastant. A. Hers.
779. Sturmi abbas Fuldensis obiit. A. Hers.
781. Carolus Romae, baptisatus filius Carolomanus, quem Adrianus mutato nomine Pipinum vocat; ibi filia eius Ruotdrud desponsatur Constantino[2]. A. Hers.
782. Comites Caroli a Saxonibus occisi Suntdal. A. Hers.
783. Hildigard regina obiit, succedit Fastrat. Carolus contra Saxones in Thietmelli. A. Hers.
785. Coniuratio Hartradi et orientalium Francorum oppressa. Saxones subditi, Widikind venit Attiniacum villam, ibi baptizatur, omnis Saxonia cum illo Francis subiecta. A. Hers.
786. Lullus archiepiscopus obiit, succedit Richolfus. Carolus in Italiam. Multa prodigia. Signum crucis in vestimentis hominum, sanguis e caelo terraque profluxit. A. Hers.
787. Carolus Beneventum proficiscitur, monasterium sancti Benedicti adit. Mortuo Harigiso Grimoldum filium statuit Beneventanis[3]. Ecclypsis solis 16. Kal. Octobris hora secunda[4]. A. Hers.
788. Thassilo eiicitur, Thieotho filius similiter. A. Hers.
789. Carolus Wiltzos subegit. A. Hers.
790. Carolus perrexit in Pannoniam. A. Hers.
791. Carolus Avaros subegit. Fundatum templum sancti Bonifacii. A. Hers.
792. Coniuratio Pipini contra patrem detecta per Fardulphum, Pipinus fit monachus, partim alii decollati, alii crucifixi. Fardulpho commendatur monasterium sancti Dionysii. f. 8'. A. Hers.
794. Heresis Feliciana Francfurt damnata. Fastrat regina obiit. A. Hers.
795. Adrianus papa obiit in natali Domini, Leo successit. A. Hers.
796. Wandali suam patriam Pippino regi dant. A. Alam.
798. Balthart abbas Herveldensis obiit. A. Hers.

1) Cf. Lambertum. 2) Aventinus hoc loco nonnulla omisit de episcopis tunc a Carolo in Saxonia constitutis. Cf. ann. Quedlinburgenses, Lambertum, Annalistam Sax. et Staindelium. Ex mea sententia in annalibus Altahensibus haec fere scripta erant: *Eodem anno Carolus, de Roma reversus in Franciam, divisit terram inter episcopos in Saxonia.* Cf. ea, quae Wolfherius supra ad annum 750 de episcopis in Bavaria constitutis retulit. 3) Cf. annales Laureshamenses ad a. 787 et Einhardi ad a. 788. 4) Cf. annales Lauresham. ad a. 787.

A. Hers. A. Alam. 799. Leo papa truncatus lingua, cecatus, videns loquens venit ad Carolum in Saxonia Heristeille. Kerolt occisus.

A. Hers. 800. Carolus Romam venit, obtulit natali purissimi auri libras in vasis aureis 500, discum argenteum rotundum magnum; circumsectione coronam auream obtulit Carolus librarum 50, suspensa manet catenulis super ara Petri, variis preciosissime lapidibus ornata, die epiphaniae ad tumulum Petri calices tres, duos pro liberis, unum pro se, librarum auri purissimi 42, patenam auream librarum 22, egenis tria millia argenti libras. Advenere Hierusalem legati cum legato Caroli Zacharia, attulere vexillum, lanceam, duas tabulas duobus attramentariis scriptas, posituris (?) duas discretas, claves sepulcri Christi, de loco calvariae, monte oliveti, de porta speciosa, quae ultro (?) parta (?) Petro aptabant ac omnia Carolo patefecerunt ad liberandum populum christianum[1].

A. Hers. 801. Amarmurmulus rex Persarum elephantum mittit.

A. Hild. 802. Carolus Boioariam venit, legati Avarorum ibi terram subiiciunt.

A. Hers. 803. Leo papa in Franciam. Saxones Transalbani translati in Franciam.

A. Hers. 805. Carolus iunior Beheimos vastat.

A. Hers. 807. Mortalitas Fulda.

A. Hers. A. Alam. 810. Hohbuoch Albi impositum. Mortalitas boum. Leo papa obiit[2].

A. Hers. 811. Depositio sancti Liudgeri[3].

A. Hers. 813. Richolfus archiepiscopus obiit. Pons Mogontiaci incendio perit.

f. 9. A. Hers. 815. Lutharius rex in Boiariam mittitur. Baugulfus abbas obiit. Praeceptum, ut omnes monachi cursum Benedicti cantarent.

A. Her. (817.) 816. Coniuratio Bernhardi contra regem.

f. 9'. A. Hers. (816.) 817. Synodus Aquisgrani, canonicorum regula instituta.

A. Hers. 818. Ludovicus Welfi filiam ducit Iudith. Fulda dedicata.

(818. 819.) A. Hers. 819. Liudwit rebellat. Bernhard interiit[4]. Pestis magna boum hoc anno. Scriptus liber miss.

1) Locus memorabilis, qui procul dubio ad annales Altahenses pertinet. Cf. Aventini annales Boiorum p. 308. 311 et Staindelii chronicon ad a. 800. Similia referuntur in annalibus Laurissensibus mai. ad a. 800 et in Libro pontificali (Mura tori SS. III. p. 199). 2) Obiit anno 816. Cf. annal. Einhardi. 3) Obiit anno 809. Cf. Vitam Liudgeri (M. G. SS. II. p. 414). 4) Cf. annales S. Emmerammi maiores M. G. SS. I, p. 93.

822. Ludovicus imperator regnum dividit inter filios. f. 10'.

824. Ludovicus contra Wormacum regem Britanniae pugnat. f. 11. A. Her.

825. Wormacus occisus domi suae ab hominibus Lantperti. Heistolfus archiepiscopus obiit. f. 11'. A. Her.

826. Hiltwinus ossa Sebastiani adfert in Galliam. A. Hers.

827. Barcinonensium et Gerundensium fines depopulati a Saracenis. f. 12. A. Hild.

830. Initium basilicae sancti Galli. Imperator deponitur. f. 12'. A. Al. A. Hers.

831. Bun abbas et Rabanus fundamentum Sancti Wigberti fodiunt. A. Hers.

832. Coniuratio Ludovici contra patrem apud Langobardonheim. A. Hers.

833. Regnum conversum Francorum ad Lotharium imperatorem. A. Hers.

834. Pipinus et Ludovicus fratres restituunt Ludovicum patrem in regnum. A. Hers.

835. Ebo archiepiscopus Remis deponitur, relegatur Hildenesheim, ibi efficitur episcopus[1]. f. 13.

836. Ludovicus imperator cum exercitu ad Lehc contra filium Ludovicum[2].

838. Coniuratio Ludovici ad Francfurt, regnum conversum est ad patrem eius. A. Hers.

839. Ventus magnus 2. Non. Novembris aedificia stravit. A. Hers.

840. Imperator contra filium venit ad Heroldesfeldt 6. Id. Aprilis. Bun abbas obiit[3]. f. 13'. A. Her.

841. Adalpertus comes occisus. Infelix bellum Lutharii contra fratres Carolum et Ludovicum. f. 14'. A. Her.

842. Rabanus abbas pulsus de caenobio et Lutharius de regno. f. 15. A. Hers.

844. Lutharius rex cum orientalibus Francis in Sclaviam, eorum regem Gestimulum occidit, caeteros subegit. f. 15'. A. Her.

845. Heroldesfelt monachi concordati cum Otgario episcopo. Venit huc Ludovicus 2. Kal. Novembris, privilegia dat. A. Hers.

846. Ludovicus filius Pannoniam subegit, revertens Beheimos vastat. f. 16. A. Hers.

847. Otger archiepiscopus obiit, Rabanus abbas Fuldae succedit. f. 16'. A. Her.

848. Godoscalc hereticus. f. 17. A. Hers.

850. 5. Kal. Novembris templum sancti Wigberti dedicatum a Rabano archiepiscopo. Terrae motus. A. Hers. A. Al. (849.)

852. Translatio sancti Lulli in cena Domini 7. Kal. April.[4] f. 18'.

855. Ludovicus rex cum exercitu magno perrexit contra Razidum regem Marahensium. Lutharius moriturus tonsuram et monachicum habitum suscepit. f. 20. 20'. A. Hers.

1) Cf. chronicon Hildesheimense (M. G. SS. VII. p. 451), Annalistam Sax. ad a. 837 et Staindelium ad a. 835. 2) Cf. Staindelium. 3) Cf. Lambertum ad a. 846. 4) Cf. Lambertum et Staindelium.

f 21. A. Al. 857. Hildigart Ludovici filia obiit. Treveris in templo in sede episcopi canis visus[1].

A. Her. (859) 858. Ludovicus, Carolus, Lotharius iuramento pacem firmant,

f. 23'. A. Hers. (858.) 859. Ludovicus filius contra Abotritos.

A. Hers. 860. Mortalitas animalium.

f. 24. A. Hers. 861. Fames validissima. Udo, Ernust, Bernger comites, Waldo abbas depositi.

A. Hers. 862. Fames, morbus magnus in Germania.

A. Hers. 863. Meginradus heremita martyrizatur[2].

f. 27'. A. Her. A. Al. (863.) 865. Subitum diluvium, grando frugibus nocuit. Gens Hunnorum fiunt christiani.

f. 28. A. Al. 866. Caroli regis soror Irmingart obiit.

f. 28'. A. Her. 867. Ventus magnus sternit aedificia.

A. Alam. 868. Cometa; fames, mortalitas subsecuta.

f. 29'. A. Her. 869. Lutheri, a Benevento reversus, ob fratris Ludovici discordiam istuc profectus, Romam venit, ibique ab Adriano papa damnatus cum suis pene omnibus periit. Tiedo abbas Fuldae deponitur, succedit Sigihart.

f. 30. 870. Dividitur regnum inter Ludovicum et Carolum.

f. 31. A. Hers. 871. Thiedo abbas Fuldae obiit.

f. 32. A. Hers. 872. Aestatis fervor nimius, siccitas fruges deperdit, domus cum hominibus pecoribus fulmine concremarunt.

f. 33. A. Hers. 873. Fames magna in Germania, locustae.

f. 36. A. Hers. Hild. 875. Ludovicus imperator obiit. Altfrid episcopus Hyldenesheimensis obiit. Brunwart abbati Herfeldensi succedit Druogo.

f. 38. A. Hers. A. Alam. 876. Bellum iuxta Andarnacha. Hemma et Carolomannus filius Lutharii obierunt[3].

f. 39'. A. Al. (Weing.) 878. Ecclypsis solis 4. Kal. Novembris.

f. 40. A. Hers. A. Hild. (875. 880.) 879. Ludovicus filius Caroli obiit et Carolomannus pater Arnolfi paralysi periit. Marchwalt episcopus Hyldenesheimensis occisus, succedit Wigbertus.

f. 45'. A. Her. 885. Wolfheri episcopus cum multis occisus a Sclavis.

f. 46'. A. Hild. 888. Carolus obiit.

f. 47. A. Hers. 887. Carolus placitum Triburi habuit, orientales Franci conspirant.

f. 47'. 889. Ungari ex Scythia egressi.

f. 48'. A. Her. 890. Liutbert episcopus obiit, Sunderolt successit.

A. Hers. 891. Sunderolt archiepiscopus occisus est, Hatto infidelis succedit.

f. 49'. A. Her. 892. Hardarat abbas Herveldensis de Roma[4]. Arn episcopus occisus.

f. 50. A. Hers. 893. Bellum magnum inter Ungarios et Baioarios.

f. 51'. A. Her. 896. Arnulphus Romam venit, fit imperator.

1) Cf. ann. Bertinianos ad h. a. (M. G. SS. I. p. 450). 2) Cf. ann. Quedlinburgenses ad a. 860. 3) Cf. ann. Alam. contin. Sangall. I. cod. Sirmond. 4) Cf. annales Weissenburgenses et Lambertum.

B. ANNALES INTEGRI.

899. Arnolfus imperator obiit, cui successit filius eius Hludowicus. f.57. A. Hers.
Ungri Italiam invaserunt et bello vicerunt. A. Alam.
901. Hardarat abbas obiit et electus est Tiothart. A. Hers.
902. Sclavi vastaverunt Saxoniam. A. Hers.
903. Ebarhart et Adalhart atque Heinrihc occisi sunt. A. Hers.
904.
905. Chonradus comes occisus est ab Adalperto cum aliis multis A. Hers.
in pago Hassiae.
906. Ungarii vastaverunt Saxoniam. A. Hers.
907. Adalperht comes decollatus est a Ludowico rege, qui A. Hers.
fuit filius Arnolfi. Occisio Bawariorum in gentili gladio. A. Alam.
908. Liutbolt dux cum aliis multis interfectus est ab Ungariis. A. Hers.
Adalperht comes occisus est[1].
909. Burchart dux Thuringorum cum plurimis occisus est ab A. Hers. Al.
Ungariis.
910. Ludowicus rex pugnavit contra Ungarios. A. Hers.
911. Ungarii vastaverunt Franciam atque Thuringiam. Proe- A. Hers.
lium cum Ungariis[2] ad Liuhhinga[3].
912. Ludowicus iunior rex obiit, Chonratum regnaturum relin- A. Hers.
quens.
913. Hatto archiepiscopus obiit, cui successit Heriger. A. Hers.
914. Otdo Saxonicus comes mortuus est. A. Hers.
915. Ungarii vastantes omnia venere usque Fuldam. A. Hers.
916.
917.
918. Chonradus rex fuit in Herfelde. A. Hers.
919. Chonradus rex obiit, et Heinricus Saxonicus successit in A. Hers.
regnum. Peratolt et Herchanger decollati sunt. A. Al. (Aug.)
920.
921.
922.
923. Haico abbas[4] obiit et Hildibrat electus est. A. Hild.
924. Heriger archiepiscopus obiit. A. Hers.
925.
926. Purchard dux occidit. A. Al. (Aug.)
927. Thiothart iunior abbas[5] electus est cum consensu senioris. A. Hers.
928. Idem Thiothart iunior episcopus ordinatus est et Burchard f.57'. A. Her.
abbas electus.
929.
930. Thiothart senior abbas obiit. A. Hers.
931. Henricus rex Abotritos subegit. A. Hers.

1) Annalista eadem, diversis subsidiis usus, bis adnotat. 2) Cf. annales Ratisponenses ad a. 911 (M. G. SS. XVIII. 583). 3) Loiching ad Isaram supra Dingolfing quondam erat curtis regalis. Cf. diploma Caroli Crassi in Mon. Boic. XXXI, 1. p. 117. 4) Fuldensis. 5) Hersfeldensis.

A. Hers. 932. Henricus rex fuit in Lonsicin. Thiotho episcopus obiit, successit Burchart.

A. Hers. 933. Megingoz abbas eligebatur.

A. Hers. 934. Heinricus rex in Wocronin fuit cum exercitu.

A. Hers. 935. Magna synodus in Erpesfurt. Henricus rex obiit, Oto filius succedit. Hagano abbas Herfeldensis electus.

A. Hers. 936. Oto rex fuit in Herfelde. Ecclesia sancti Bonifacii exusta.

A. Hers. 937. Eberhart comes Henricum fratrem Otonis captum coniecit in vincula.

A. Hers. 938. Ebarhart et Gisalperht occisi.

A. Al. (Aug.) 939. Oto rex Brisacham obsedit. Eberhardus occisus est, Giselbertus submersus.

940.

941.

942.

943. Praelium cum Ungariis in Weles et occisi sunt a Bawaris[1]. A. Hers. Synodus ad Bunnam.

944. Albwinus presbyter monachus, religiosus vir, obiit 13. Kal. Aprilis.

A. Hers. 945. Nuncii Graecorum in Saxoniam ad regem venerunt cum muneribus maximis in vigilia omnium sanctorum.

946.

947. 7. Kal. Febr. Ethit regina obiit.

A. Hers. 948. Peratholdus dux obiit[2]. Synodus in Engilenheim, Marinus apostolicus legatus praesędit.

A. Hers. 949. Praelium cum Ungariis in Lǒa[3]. Chonradus dux ducit filiam Otonis. Nuncii Graecorum secundo veniunt cum A. Al. (Sang.) muneribus preciosissimis ad regem in festo omnium sanctorum. Herimannus dux obiit Suevus.

A. Hers. A. Al. (?) 950. Bellum magnum inter Baioarios et Ungaros. Liutolfo Alemannia committitur.

1) Cf. annales S. Emmerammi ad a. 945, Cont. Regin. ad a. 944, annales Ratisponenses ad a. 943, auctarium Ekkehardi ad a. 942. 2) Cf. Cont. Reg. ad a. 945, annales S. Emmerammi ad a. 947, annales Ratisponenses ad a. 949. 3) Cf. annales Ratisponenses ad a. 950: *Interfectio Bawarorum ad Lova* et privilegium Ludovici Infantis d. d. 16. Mai. 905, quo cuidam Immoni donatur hoba *prope aquam, quae dicitur Lova,* in comitatu Liutpoldi (M. Boic. XXXI, 1. p. 175). Maioris et minoris Luae in pago Nortgowe mentionem facit diploma Heinrici III. imperatoris (Mon. Boic. XXXI, 1.p. 320). Sed ad illum rivum in palatinatu superiore, qui hodie Luhe appellatur, proelium cum Ungaris tunc commissum esse statui vix potest. Cum in Bavaria nomina Loh, Luh, Lohen plurimis locis indita sint, inprimis tamen vetustissimae villae Lohe, in parochia Stephansposching haud procul a Straubing sitae, rationem habendam esse Comes Hector de Hundt, vir de rebus Bavaricis optime meritus, perbenigne me docuit.

951. Otdo rex in Italiam, cum eo filius Liutolfus et Chunradus dux, Fridaricus archiepiscopus Mogontinus, Adelheidam reginam ducit, Berngerum regem Italiae subiecit. A. Hers.

952. Liutolfus Italiam invasit[1]. f.58. A.Al.(?)

953. Dissensio inter Liutolfum et patruum Henricum, ipso rege partes fratris iuvante, durat duobus annis incendiis, caedibus, rapinis. Multi non solum de populo, sed et optimatibus occubuerunt. Mogontia obsessa et civitas Rossodal, ubi magnum bellum factum[2]. A. Hers.

954. Fridaricus archiepiscopus Mogontiacensis ecclesiae obiit, summae abstinentiae vir, in religione sancta et doctrina probatus, et Willihelmus successit in locum suum, filius regis. A. Hers.

955. Otdo rex Ungarios cum magno periculo sui suorumque magna et cruenta cede prostravit, in quo tamen bello Chonradus dux cum aliis multis occisus est, et Heinricus dux Bawariorum, frater regis Otdonis, obiit. Sed et rex Otdo periculosissime contra Abotritos conflixit, quos filius materterae eius Egberht contra illum congregavit. A. Hers.

956. Ruotpertus Treverensis ecclesie episcopus et Hadumarus abbas Fuldensis coenobii obierunt, quibus Henricus episcopus et Hatto abbas successerunt. In eodem anno Liutolfus, filius regis, perrexit in Italiam eamque subegit imperio suo fugatoque Perengario Papiam intravit[3]. A. Hers. A. Al. (?)

957. Liutolfus in Italia mortuus est et inde ad Mogontiam transportatus ad Sanctum Albanum sepultus est. A. Hers.

958. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit illis, qui derisui illud habebant, mortem inferens, aliis autem pie et relligiose illud venerantibus nihil mali intulit. A. Hers.

959. Hagano abbas reliquit dominium sui honoris propter infirmitatem sui corporis, et eo vivente electus est Guntherus cum consensu fratrum in locum suum, et patriarcha[4] fuit in Heroldesfelde. A. Hers.

960. Venere Rusciae gentis legati ad regem Otdonem et deprecati sunt eum, ut aliquem episcoporum suorum transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis, et professi sunt, se velle recedere a paganico ritu et accipere religionem christianitatis. Et ille consensit peticioni eorum et transmisit ad illos Adalpertum episcopum fide catholicum. Illique mentiti sunt per omnia, sicut etiam postea eventus rei probavit, ut vix ille praedictus episcopus evaserit letale periculum ab insidiis eorum. A. Hers. f. 58'.

961. Otdo rex a Ioanne papa Romam ad mitigandam arrogantiam Adalberti regis invitatur, et eodem anno Oddo iussu patris Oddonis rex factus est. A. Hers.

962. Oddo maior Italia subacta, Berengario ob-

1) Pertinet ad annum 951. Cf. ann. Heremi ad a. 951 et Herimannum Augiensem ad a. 952. 2) Verba scriptoris ab Aventino paululum mutata sunt, ut apud Staindelium videmus. In annalibus Altahensibus scripta erant haec: *civitas, quae nominatur Rossodal, factumque est magnum bellum in illo loco.* 3) Cf. annales Heremi et Herimannum Augiensem. 4) Aquilegiensis. Cf. ann. Weissenb.

sesso, Adalberto fugato a Ioanne papa imperator effectus est cum summo Romanorum tripudio.

963. Iohannes, ab imperatore deficiens, Adalbertum recepit, imperator vero, regrediens Romam, sinodum cum episcopis habuit et, Ioanne fuga lapso,
A. Hild. Leonem in sedem apostolicam collocavit. Ipso anno seva mortalitas invasit exercitum imperatoris et in ea Heinricus archiepiscopus Trevericae civitatis et dux Gotefridus vitam perdidere caeterique non pauci.

964. Imperatore natale Domini Romae agente [1], Bernharius capitur. Imperatori a Romanis mors machinatur, quae tamen machinatio ad velle eius honorifice sedatur. Imperator Roma egreditur; Leo papa a Romanis eicitur, Iohannes reponitur, quo mortuo Benedictus eligitur. Imperatore Romam remeante, populus Romanus vincitur, Benedictus papa Adaldago Hammaburgensi episcopo committitur,
A. Hers. paulo post moritur [2]. Eodem igitur anno Berenhardus rex Langobardorum obsessus est in monte sancti Leonis, ibique captus et cum vi deductus una cum regina eius cohabitatrice Willa in Bawariam ad castellum Babinberg, ibique novissimum diem praesentis vitae finivit.

A. Hers. 965. Otdo imperator de Langobardia venit ad Franconofurt et illum annum integrum in isto regno manebat, interimque omnes suos adunavit ad pacem et concordiam. Et Brun archiepiscopus Agrippinae civitatis, frater imperatoris, vitam cum pace finivit.

f. 59. 966. Iterum abiit Otdo imperator tertia vice ad Italiam, indeque
A. Hers. adiens limina sancti Petri principis apostolorum, et illic Deo et sancto Petro supplicando gratiarum actiones referens, eo quod cuncta, quae erant erga eum, prospero cursu agebantur.

A. Hers. 967. Hoc anno transmisit Otdo imperator legatos suos ad Willihelmum archiepiscopum Mogontie, misit et ad alios principes eius, ut Otdonem filium suum cum omni regali dignitate proveherent ad Italiam. Illicque Otdo senior suscepit eum et secum deduxit Romam commendavitque illum apostolico Ioanni posteriori, ut ab eo augustalem benedictionem recepisset, ut imperator augustus foret appellatus a cunctis, qui eum agnovissent, sicut pater eius.

A. Hers. 968. Migravit a saeculo Willihalmus archiepiscopus. Egilolfus Herveldensis abbas transmissus est ex parte imperatoris de Italia, ut fratres Fuldenses Werinherum eligerent ad abbatem, indeque adiit Mogontiam, ut ille clerus simulque totus populus Hatdonem, virum venerabilem, sibi constituerent in dominium pontificalis honoris. Adalbertus primus episcopus in Magadaburg constituitur.

1) Cf. annales Heremi. 2) Cf. ann. Hild. ad a. 963.

969. Hatdo archiepiscopus obiit, et Ruodpertus electus est in locum eius. A. Hers.

970. In isto anno Egilolfus abbas novissimum diem huius praesentis vitae clausit, et heu pro dolor non longe post novem monachorum Herfeldensium vitam finiere, et eodem anno Gozpertus electus est cum communi consilio fratrum Deum timentium. A. Hers.

971. Exustum est honorabile templum in Torenburc cum omni regali thesauro 6. Kal. Ian. A. Hers.

972. Otdoni gloriosissimo imperatori missa est filia imperatoris de Graecia suo filio item imperatori maritali connubio ac procreatione posteritatis sibi copulanda 18. Kal. Mai. Romam die dominica prima post resurrectionem Domini, et eodem die extemplo apostolica benedictione fiebat dignificata ac post tercia nocte cum divino timore naturaliter illi con- f. 59'. iuncta. In eodem anno Otdo imperator augustus venit de Langobardia et filius eius cum eo in Franciam. A. Hers.

973. Otdo imperator maior et filius eius Oto item imperator cum imperatricibus 14. Kal. April. Quidilingaburg venerunt, ibi diem paschalem celebrant, is contigit 10. Kal. April. Illuc venere legati Graecorum Beneventorum cum muneribus, 12 primates Ungarorum, Bulgariorum duo; etiam legati ducis Haroldi, quem putabant resistere imperatori, omnia sua deditioni Otonis subiiciunt cum statuto vectigali. Boneszlawo [dux Sclavienus] regiis eum inumerabiliter donans illuc venit muneribus. Miszego etiam dux Sclavienus, terrore compulsus, filium mittit obsidem. Herimannus etiam dux sibi dilectissimus secum adventando argento, auro, aliis regiis muneribus prae caeteris illum honestavit. Inde abit in Thoringeam, ad Mimileiba obiit Nonis Maii, corpus Magaedaburg delatum. Occisus Werinzo, frater eius Reginzo de Lotheringea cum aliis multis a Reginherio et Lantperto. Sanctus Udalricus obiit. A. Hers. A. Alam. (Sang. mai.)

974. Coeperunt filii Reginherii munire castellum Boscuht[1]. Interim audivit imperator noster discordiam A. Hers.

1) Bossut, prope S. Ghislain.

et periculum regni sui, adunavit suum exercitum pergitque ad Lutheringeam ipsumque castellum concremavit et custodes aprehendit in Saxoniamque secum duxit, ipsi tamen domini Reginherius et Lantpertus evaserunt. Eodem anno Heinricus dux Bawariorum et Abraam episcopus inierunt consilium cum Bolizlavone et Misigone, quomodo imperatori suum regnum disperderent; et hoc quidem tam infaeliciter fuit disputatum, ut si divina miseratio non provideret et insuper ingenium Berahtoldi non disperderet, pene tota Europa destituta atque deleta esset. Igitur imperator, tali nefando comperto consilio, congregavit omnes principes suos et interrogavit eos, quid inde facturus esset. Illique invenerunt, ut Bobbonem episcopum et Gebehardum comitem transmitterent ad praedictum ducem et eum vocarent ad suum placitum per edictum et omnes, qui cum eo erant in eadem conspiratione, et si minime venire vellent ac in tali pertinacia voluissent perdurare, tunc demum procul dubio sciant se esse spiritali gladio peremptos. Enimvero Heinricus dux illico, ut audivit legationem eorum, Domino opitulante sine ulla dilatione se praesentavit domino imperatori cum eis omnibus, qui erant in eo consilio, ut ille ex eis fecisset, quicquid sibi placuisset. Continuo transmisit ducem Ingelemheim atque Abraha-
f. 60. mum episcopum Corobiae, alios quoque huc et illuc. Antequam haec omnia finirentur, Haroldus rex Danorum, incentor malorum, omnem provinciam trans flumen Albiae concremavit atque vastavit. Cumque hoc nunciatum fuisset Otdoni imperatori, adunavit suum exercitum, adiensque ad Haroldum, eique grande bellum voluit inferre. Attamen Haroldus misit nuncios suos ad imperatorem eique expendit omnem thesaurum, ut eum in pace dimisisset. Imperator igitur, nunciis irritatus, reversus est ad suam regionem, ut talem exercitum congregaret, quo nisus potuisset contra ire. Postquam Haroldus rex misit

filium suum dominanti ad obsidem omnemque thesaurum, quem habuit, insuperque promisit illi censum dare, quem antea dedit; tunc cessavit imperator suae sevitiae, Haroldum in pace dimisit[1].

975. Otdo habuit magnum conventum in Weihmari. Eodem anno Otdo imperator Boemos concremavit atque vastavit. Postea venit Otdo imperator ad Heroldesvelde. Boemanni familiam sancti Mauricii occiderunt. Hiems dura longa fit. A. Hers.

976. Otdo imperator adunavit suum exercitum, adiensque ad Bawariam Heinricum ducem consecutus est, eo quod iniuste vindicavit dominium domini sui imperatoris. Cumque imperator venisset illuc, episcopi ac comites Bawarii venere cito ad suam praesentiam, ipse dux evasit. Altera vice perrexit Otdo imperator ad Bawariam, Heinricum ducem expulit, patriamque Otdoni duci Suevorum commendavit[2]. A. Hild. A. Hers.

977. Otdo imperator iunior in Boheima duxit exercitum et maximam partem terrae illorum incendio vastavit. Ipse quoque imperator ibi non parvam partem militum exercitus per fraudes et insidias provincialium amisit. Lues autem dissenteriae exercitum multum vastabat. Venit ergo ad imperatorem Bolizlawo cum paucis pacifice, per amicos suos et per semet ipsum supplicans, ut domum rediret, fideliter promittens, se cito secuturum cum muneribus et donis sibi congruis, et sui deditionem et totius gentis suae deditionem et subiectionem, quod et impetra tum. Commorante imperatore in illis regionibus Heinricus et alter eiusdem nominis, nepos eius, invaserant Bazzowam. Quod ut audivit, festinato exercitum movit atque urbem obsedit, et Heinricum ducem naviculari ponte facto et longa obsidione atque amicorum suorum invitatione ad deditionem coegit et in gratiam suam recepit, et sic militem solvit ipseque ad Saxoniam perrexit. A. Hers. f. 60'.

1) Cf. Lambertum. 2) Cf. Lambertum.

A. Hers. 978. Venit Bolizlavo ad imperatorem in sancto pascha, ut promisit, et honorifice per primates regni susceptus et cum honore habitus et magnifice regalibus muneribus honoratus, fide facta, cum pace dimissus, domum rediit. Aderat et Heinricus et ille alius eiusdem nominis, et comprehensi sunt atque in exilium missi. Hoc etiam anno Lotharius rex hortatu et consilio filiorum Reginharii, qui fuit princeps et dux in regno Lotharii, cum electo numero militum repente invasit Aquisgrani palatium, seditque tribus diebus ibi, ordinans atque constituens, quae sibi congrua videbantur. Quod imperatorem, ut audivit, multum movit, et cum festinatione omnes vires regni sui coadunavit, et insecutus est eum usque ad fluvium Sigonem et usque ad monasterium sancti Dionisii, et eum non apprehendit, quia fugiendo evasit[1]. Revertente autem exercitu ventum est ad fluvium Asna[2], et transvadato fluvio castra posuere, et relictis in alia ripa fluminis victualibus cum plaustris et carucis et pene omnibus utensilibus, quae exercitui erant necessaria, et ecce repente filii Reginharii cum exercitu regis Lotharii irruunt et multos ex custodibus occiderunt, et quicquid secum asportare poterant, diripiebant, multum damnum exercitui inferentes[3].

A. Hild. 979. Infidelitas Geronis comitis per Waldonem publicatur, unde ipsi Magadaburc, grave duellum interserentes, ambo procubuerunt.

f. 61. 980. Imperator Otdo iunior perrexit ad Langobardiam. Lotha- A. Hers. rius rex cum magnis muneribus ad imperatorem venit seseque cum A. Hild. filio suo imperatori subdidit.

A. Hers. 981. Adalpertus Magadaburgensis archiepiscopus obiit, cui successit Gisilharius. Imperator natale Christi Romae celebravit[4].

A. Hers. 982. Destructus est episcopatus in Mersiburc et eodem anno Cf. A. Hild. mirae magnitudinis edificium cecidit in Magadaburc. Hoc anno

1) Cf. Lambertum et ann. Ottenbur. 2) Aisne. 3) Cf. Gesta episcoporum Cameracensium I. c. 98 (Mon. Germ. SS. VII. p. 441). 4) Error. In ann. Hildesh. ad a. 981 haec leguntur: *Imperator pascha celebravit Romae.*

pugnavit imperator iuxta mare Sicilicum cum Sarracenis et Mauris, in quo proelio scrinia cum reliquis sanctorum, pro dolor, amisit, episcopis, capellanis, tribunis et pene omnibus qui interfuere comitibus interfectis. Cum vero imperator suorum fugam Sarracenorumque conspiceret audaciam, arma proiecit, vestimenta exuit seque in vicinum mare praecipitem dedit, in quo dum incertus sui diu circumnatando laboraret, Dei ordinatione adversariorum quidam navigantes advenerunt eumque iam mergentem in navim levaverunt. Ibi, ut aiunt, simulavit, se non esse qui erat, dicens, se unum esse de militibus imperatoris. Cumque in hunc modum mutuos cum adversariis sermones conferret, subito mari insiliens ad proximum transnatavit littus, mirabili Dei adiutorio liberatus. Milites autem, qui belli periculum evaserunt, alii fame, alii nimio aestatis fervore perierunt. Eodem anno Otdo nepos imperatoris et Cf. A. Hild.
dux Bawariorum et Werinheri abbas Fuldensium, cum caesaris licentia domum reversi, in Italia vitam finierunt. Otdoni successit Heinricus et Werinhario Branthogus[1].

983. Inter Sclavos et Saxones seditio, Sclavis Saxones persequentibus, ecclesias, caenobia multasque urbes destruentibus. Boppo Wirzpurgensis episcopus obiit, successit Hugo. Otdo imperator dissenteria Romae 6. Idus Decembris perit, in templo sancti Petri sepelitur.

984. Otdo, filiolus Otdonis, fit rex in die natali Domini. Goz- fol. 61'.
pertus abbas[2] deponitur, succedit Berenharius electione. A. Hild. A. Hers.

985. Chunradus comes Alemaniam sibi vendicat. A. Alam. (?)
Saxones Sclaviam vastant. A. Hild.

986. Oddo rex puer cum magno exercitu Sclaviam vastat et ibi A. Hild.
Misaconem obvium habuit cum exercitu et muneribus.

987. Iterum Saxones coegerunt ipsos Sclavos ad deditionem. A. Hild.

988. Aestatis fervor nimius. A. Hild.

1) Cf. Lambertum. 2) Hersfeldensis.

A. Hild. 989. Henricus dux Karintanorum obiit[1]. Theophana imperatrix Romam perrexit, omnem regionem illam imperatori subdidit.

990. Erchanpertus fit abbas. Regularis vita in A. Hild. Altahensi monasterio restauratur. Eclypsis solis.

A. Hild. 991. Gotehardus diaconus monachus fit. Ignis de Rheno ascendit, villas prope ripam consumpsit[2].

A.Hild.(991) 992. Theophana imperatrix obiit. Oddo rex Brandaburg obsedit.

993.

A. Hild. 994. Sanctus Wolfkangus episcopus obiit[3], cui Gebehardus successit. Filii Henrici comitis, Henricus, Udo, Sigefridus, contra pyratas navali proelio pugnabant, ex quibus Udo interfectus, alii duo capti, Henricus autem, filio et militibus obsidibus datis, pro colligenda pecunia, qua redimerentur, dimittitur. Sigefridus vero clam nocte aufugit, unde illi irati obsides truncatos reiecerunt[4].

A. Hild. 995. Henricus dux obiit, et filius eius ducatum obti- A. Hers. (?) A. Hild. nuit[5]. Maiolus abbas obiit[6]. Oddo rex Abodritos vastat.

A. Hild. 996. Oddo rex ad mitigandam saevitiam Crescentii Romam invitatur. Defuncto papa, Brunonem, Oddonis ducis filium, papam dat, a quo et ipse imperialem accepit coronam, Crescentio vero maiestatis reo ad preces papae vitam permisit.

f.62. A. Hers. A. Hild. 997. Gotehardus abbas fit[7]. Adalbertus episcopus martirizatur. Iohannes Placentinus praesul contra Oddonem imperatorem sedem apostolicam invasit Crescentio consiliante.

A. Hild. 998. Mulier in Altahensi familia monasterii enixa est simul quinque filios. Predictus invasor Iohannes, ab imperatore Oddone caecatus, naso truncatus deponitur. Crescentius, decollatus cum duodecim suis, ante urbem Romam suspenditur.

A. Hild. 999. Adalheid imperatrix obiit. Bruno papa obiit, succedit Gerbertus.

A. Hild. 1000. Ramuoldus abbas[8] obiit. Imperator causa oracionis ad sanctum Adalbertum episcopum et martyrem Sclaviam intrat, ibi synodo habita septem episcopia disposuit et Gaudentium, fratrem beati Adalberti, monachum archiepiscopum ordinari iussit. Inde reversus palmas Magaedaburg, pasca Quitilingaburg egit. Aquis-

1) Cf. abhinc auctarium Ekkehardi (M. G. SS. XVII. p. 363. 364), ubi nonnulla ex nostris annalibus deprompta sunt. 2) Cf. Lambertum. 3) Cf. annales S. Emmerammi (M. G. SS. I, 94. XVII, 571). 4) Cf. Thietmarum IV. c. 16. 5) Cf. annales Heremi et Ratisponenses. 6) Cf. Lambertum. 7) Cf. Lambertum ad a. 996. 8) S. Emmerammi. Cf. annales S. Emmerammi Ratisb. et annales brevissimos eiusdem monasterii.

grani magni imperatoris Caroli ossa, a pluribus inscita[1], quaesivit. Inde Romam ivit.

1001. Otdo imperator III. natale Domini Romae celebrat. A. Hild.

1002. Otdo III. imperator obiit 10. Kal. Februarii, cui Heinricus dux Bawariorum succedit feliciter. A. Hild.

1003. Incendium Papiae[2]. Stephanus rex Ungaricus super avunculum suum Iulum regem cum exercitu venit, quem cum adprehendisset cum uxore ac duobus eius filiis, regnum vi ad christianismum compulit. Et castellum Chrusna[3] destructum est. Henricus, Berhtholdi comitis filius, et Bruno frater regis amboque Bolizlavones, Bolianicus et Boemicus, a rege deficiunt. Sed et Henricus, ad regem refugiens, in Gibicanstein custodiae mancipatur. A. Hild. A. Hild.

1004. Incendium Papiae. A. Hild.

1005. Bernharius abbas[4] obiit, succedit Gothehardus abbas[5]. A. Hild.

1006. Valida fames. Guntharius monachus factus est. f. 62'. A. Hild.

1007. Bernwardus Hyldenesheimensis episcopus Gandesheimense monasterium dedicat, et Willigisus archiepiscopus conflictum, quem hactenus contra Hildenesheimenses exercuit impudenter, ibi in praesentia imperatoris et episcoporum aliorumque principum finit, nostroque episcopo in suae abrenunciationis testimonium episcopalem ferulam tradidit[6], et usque apud nos[7] retinetur. Expeditio ad Gent. Baldwin dux Henrici regis dominatui substernitur[8]. Cf. A. Hild.

1008. Guntharius heremum inhabitare cepit. A. Hild.

1009. Mettis ab Henrico obsidetur[9] et Sarebrugka debellatur.

1010. Expeditio ad Sclavos, ex qua rex infirmatus cum quibusdam revertitur[10].

1011. Willigisus archiepiscopus obiit, succedit Erchanbaldus abbas. A. Hild. Expeditio iterum in Lutheringas[11].

1012. Hermannus dux Alemanniae obiit. Metensis civitas iterum obsessa[12]. Gothehardus abbas, relicta Hersveldia, remeat ad Altaha. A. Hild. Sanctus Colemannus

1) Cf. Lambertum. 2) Cf. a. 1004. 3) Creussen. Cf. Thietmarum V. c. 21. 4) Hersfeldensis. 5) Altahensis. 6) *In testimonium huius abrenuntiationis ferulam episcopalem domno Bernwardo tradidit.* Vita Bernwardi c. 43. Cf. Wolfherium in Vita Godehardi post. c. 17. 7) i. e. Hildesheimenses. 8) Cf. Thietmarum VI. c. 22. 9) Cf. Thietm. VI. c. 28. 10) Cf. Thietm. VI. c. 38. 11) De hac expeditione nihil compertum habemus. 1) Cf. Thietm. VI. c. 46. 49.

apud Stokarawe patitur, marchione Henrico in Austria, patre[1] Adalberti marchionis[2].

A. Hild. 1013. Ingens eruptio aquarum[3]. Christianus Bataviensis episcopus obiit, succedit Berengerus. Incendium Hildinesheimensis ecclesiae, quo ingens librorum congeries cum optimis missalibus interiit.

Cf. A. Hild. 1014. Henricus fit imperator Romae 16. Kal. Martii.

A. Hild. 1015. Ernust, dux Alemannorum, in venatione ingratis sagittatus interiit, et Lantpertus infestissimus proeliator dignissima talione cruentae caedis obcubuit. Expeditio domini imperatoris contra Bolizlaum.

A. Hild. 1016. Magnae molis grando venit et plurimi fulmine exusti perierunt.

1017.

f. 63. 1018. Henricus marchio Austriae subito periit, succedit

A. Hild. Adalbertus filius[4].

1019.

1020. Benedictus VIII. papa, ab imperatore Babinperc vocatus, advenit[5]. In multis terrarum locis multa et magna incendia[6].

A. Hild. 1021. Ingens terrae motus 4. Idus Mai.[7] hora 10. diei feria sexta post ascensionem Domini, et quasi duo soles visi 10. Kal. Iulii.

A. Hild. 1022. Bernwardus episcopus obiit, succedit Gothehardus, abbas Altahensis, monachus sanctitate vitae.

1023. Ecclypsis lunae ter illo uno anno, ecclypsis

A. Hild. solis post natale Domini hora decima diei. Wolframmus fit abbas Altahensis.

A. Hild. 1024. Henricus imperator obiit. Benedictus papa obiit, frater eius succedit[8]. Chunradus rex factus est.

1025.

1) Error. Adalbertus frater Heinrici marchionis erat. 2) Cf. Thietm. VII. c. 54, Passionem Cholomanni (M. G. SS. IV, 675), annales Mellicenses (M. G. SS. IX, 497). 3) Cf. annales Quedlinburgenses (M. G. SS. III, 82), Passionem Cholomanni (l. c. 676), annales Ratisponenses (M. G. XVII. p. 584). 4) Cf. supra ad a. 1012. 5) Cf. annales Quedlinburgenses et Herimannum Augiensem. 6) Haec et notae ad annum sequentem ad litteram in chron. Hung. (Schwandtner SS. rer. Hung. I. p. 119) descripta sunt. 7) Cf. annales Ratisponenses. 8) Cf. Herimannum Aug.

1026. Chonradi regis filius Henricus rex factus est. Wolframmus abbas subito obiit. Synodus in Saligin- A. Hild.
stat inter episcopos Aribonem Mogontinum et Gothehardum Hyldenesheimensem[1].

1027. Chonradus rex imperator factus est, et filius eius rex dux A. Hild.
Bawariae constituitur. Ratmundus abbas fit Altahensis[2].

1028.

1029. Brun Augustae civitatis episcopus obiit, cui Eppo succedit. f. 63'.
Sinodus in Palithi inter praedictos episcopos praesente imperatore de A. Hild.
Gandenesheimensi parrochia.

1030. Chonradus imperator in Ungariam cum exercitu prope- A. Hild.
rans natali sancti Albani in dominica die in monasterio Altahensi pernoctavit. Rediit autem de Ungaria sine militia et in nullo proficiens, ideo quod exercitus fame periclitabatur, et Vienni ab Ungris capiebatur[3]. Arnolfus Herfeldensis abbas deponitur et Partho sub- A. Hild. (1031.)
rogatur.

1031. Aribo archiepiscopus obiit, cui Partho abbas succedit. A. Hild.
Imperator cum parva Saxonum manu Sclaviam autumnali tempore invasit et Misiconem, diu sibi ante rebellem, Lusizi regionem cum aliquot urbibus et praeda, quae priori anno[4] facta est, sibi restituere et cum iuramento pacem firmare coegit. Eodem vero anno eundem Misaconem Bezbrien, frater eius, de Pollonia eiecit et in Beheim ad Udalricum ducem fugere fecit. Hoc anno in Premun facta est medio die et claro inter sollemnia missarum tenebrosa calligo et fluvius fundotenus divisus.

1032. Bezbriem a suis occisus, Misaco ab imperatore est in A. Hild.
locum restitutus. Udalricus dux Boemiae reus maiestatis inventus exilio damnatur, cuius filius, nomine Bratizla, suscepto ducatu patris, ab imperatore rebellans, Heinrici regis expeditione ad eum facta subicitur. Mons quidam in pago Salzpurgensi, ultra spatium quinque stadiorum decidens, casu suo inter terminos lites compescuit.

1) Cf. Vitam Godehardi priorem c. 30, posteriorem c. 22. 2) Cf. ann. Hild. ad a. 1026. et Vitam Godehardi priorem c. 31. 3) procul dubio Wien, cuius urbis nunc celeberrimae mentio antea nusquam fit. Aventinus in ann. Boiorum p. 491: *Ugri*, inquit, *Vianam Boiariae orientalis oppidum capiunt.* 4) *prioribus annis* annal. Hildesheim.

II.

PARS ALTERA AUCTORE MONACHO ALTAHENSI.

1033.

Ventus cum turbine multa stravit edificia, naves multae submersae sunt, nonnulli periere fulmine. Monasterium Altahense post 302. edificationis suae annum 4. Non. Martii cum caeteris edificiis consumitur[1]. Imperator nativitatem Domini Potherbrunno feriavit[2]. Eodem anno Heinricus rex et dux Bawariorum veniens in Ungariam et pace firmata cum rege Ungarorum reversus est in propria. Filius autem Stephani regis Ungarorum post non multum temporis obiit[3], qui dictus fuerat Heinricus et est canonizatus[4].

1034.

f. 64. Rogatu domini Guntharii heremitae et provincialium comitum Udalricus exilio eiectus ad Radesponam venit, ubi Chonradus imperator placitum suum habuit, recipiensque ducatum[5] suum multa mala maioraque et peiora prioribus commisit. Insuper fratrem suum Germarum cecavit, sicque post octo menses malam vitam mala mors secuta est. Misaco obiit[6].

1035.

Imperator Chonradus placitum suum in Papinperc habuit, ubi Adalpero dux Karintanorum deponitur[7], Chonrado in ducatum succedente illi[8]. Venit

1) Cf. ann. Hild., ubi incendium 6. Kal. Martii adscribitur. 2) Cf. ann. Hild. 3) Filius Stephani iam a. 1031. defunctus erat. Cf. ann. Hild. et chron. Posoniense (Endlicher, Mon. Arpadiana p. 55). 4) Haec post a nescio quo in archetypo addita videntur, nam Emericus sive Heinricus non ante Ladislaum regem i. e. non ante a. 1077. sanctis adscriptus est. In auctario Ekkehardi ad a. 1033. haec leguntur: *Heinricus filius Stephani regis Ungarie obiit, qui tantis miraculis claruit, quod in sanctorum katalogo est adscriptus.* 5) Cf. auctarium Ekkehardi. 6) Cf. ann. Hild. 7) Cf. Wiponem c. 33. 8) Chonradus anno sequenti successit. Cf. ann. Hild.

Bratizla, filius Udalrici ducis, illuc et pacifice ab imperatore susceptus est, obsidibusque receptis cum pace et regalibus muneribus honoratus ad propria remeavit, et statim expeditione facta ad Liutizos praeclarum nomen post ingentia facta adeptus est[1]. Inaudita mortalitas animalium et defectio apium omnem Baioariam multum afflixit.

1036.

Hiems acerba et nimis longa, in qua etiam multitudo arborum arefacta est, et in quibusdam locis exinanicio frugum. Contigit autem diabolico furore instigante, Radespone duos iuvenes rixasse, quorum unus arrepto cultro percussit iniuriantem se, et ipse repercussus eodem cultro tercium, qui causa dirimendi eos acucurrit, in vires collectus appetiit, simulque in eodem die expiraverunt. Imperator in Saligenstat paschale festum feriavit[2]. Gebehardus Radesponensis episcopus obiit, cui succedit frater imperatoris[3]. Item expeditio ad Liutizos[4]. Mortuique sunt episcopi Meginwercus Podarburnensis, cui successit Ruodolfus abbas Herfeldensis, et Brunicho Mersiburgensis, successitque ei Hunoldus, sed et Branthoh Halberstetensis, cui successit Burchardus, Coloniensis etiam Piligrinnus, et substituitur Hermannus, Sizo quoque Mindensis, quem Brun subsecutus est in episcopum[5]. Imperator in Saligenstat[6] generale concilium habuit episcoporum 35 et abbatum plurium. Deinde rex Heinricus, filius imperatoris, maritavit Chunigundam, Chnut Angli Saxonici regis filiam, et in Niumago nuptias fecit[7]. Imperator

1) Bratizla imperatorem in expeditione contra Liutizos facta adiuvit. Cf. Wiponem c. 33. 2) *Engelenheim* ann. Hild. Cf. Stumpf, Reichskanzler II, 2. n. 2076. 3) Cf. Herim. Aug. 4) Cf. ann. Hild. 5) Eadem referuntur in ann. Hild., sed aliis verbis. Forsitan nostris annalibus post ex illis addita sunt. 6) Triburiae synodus habita est. Cf. ann. Hild. 7) Haec quoque post ex ann. Hild. adiecta videntur.

rediens de Liutizia instanti autumno festinus cum exercitu in Italiam perrexit[1] et natale Domini Veronae celebravit[2].

1037.

f. 64'. Imperator pascalem festivitatem Placentiae[3] celebravit, deinde Mediolanensis archiepiscopus, eum insidiose quasi ad convivium invitans, occulte voluit perdere, sed malitiae suae diffamatus a pessimo incoepto condigne est frustratus, et ipse, comprehensus a imperatore et aliquamdiu retentus, eheu se custodientibus est fuga elapsus. Postea vero cum duodecim coepiscopis regalem curtem absque suspicione frequentantibus consiliatus est, ut ab eis aliquo modo rex periret deceptus, hocque consilio diffamato comprehensi sunt omnes pariter et in exilium per singula loca relegati. Sed et Poppo patriarcha Aquilegiensis, qui custodire suscepit archiepiscopum ecclesiae Mediolanensis, illo fugiente reus maiestatis effectus est, et ipse aufugit timidus. Postea vero, veniens discalciatus et laneis ad carnem tectus, gratiam impetravit imperatoris. Praenotatus autem Mediolani episcopus, in perfidia sua perdurans obstinatius, nunciis ad Odtonem Burgundionum regem missis, participem eum fecit praescriptae coniurationis. Non multo post tempore comprehenditur quidam Adalbertus, cognomento Fortis, cum literis sepedicti archipraesulis, coniurationem indicantibus episcoporum et omnium Longobardie primorum, in die natali sancti Martini dominum imperatorem esse cum exercitu interficiendum et eundem Odtonem in imperii monarchia constituendum. Itaque patefacto indicio internuncius et auctor huiusce mali Adalpertus iuste decenterque vincula-

1) Cf. annales S. Emmerammi saec. XI. M. G. SS. XVII, 571.
2) Cf. ann. Hild. et Wiponem c. 35. 3) Ravennae imperator pascha celebravit. Cf. Wiponem l. l. et Stumpf l. l. n. 2086—2088.

tus exilio damnatus[1]. Imperator sic liberatus Parmam civitatem proficiscitur ibique nativitatem dominicam acturus. Die vero sancto Parmenses tumultu maximo excitato omnes nostros una cum principe voluerunt exterminare. Cum utrimque fortiter pugnaretur et nostri pene superarentur, Deo donante incidit consilium imperatori, ut iuberet civitatem succendi. Unde provocatus exercitus, circumquaque per regiones diffusus, hinc inde advenerunt, cede et igne urbem vastaverunt[2]. Eodem anno vico Hallensi[3] res miseranda in familia sancti Mauricii evenit. Duo etenim germani fratres cum plebe sibi conducta patruum suum seditiosi invaserunt, ipsum occidere, filios eius sex cum eorum parvulis et reliqua multitudine promiscui sexus et aetatis non minus 50 hominum omnes simul in una domo incenderunt.

1038.

Imperator nativitatem Domini Parmae fecit, ut praenotatum est. Praedictus Odto, Burgundiae princeps usurpative factus, in pertinacia sua contra f. 65.
ipsum voluit perdurare finetenus. Quod dolens Gozilo dux Lotharingiorum cum comprovincialibus eum invasit victumque extinxit et caput eius imperatori direxit[4]. Caesar in Sudrun[5] prope Romam pascha peregit. Inde exiens Troiam tetendit, ibique Pandulfi ducis uxor cum filio suo et filia venit, maximnm thesaurum afferens et pignora sua vades imperatori relinquens; postquam gratiam sibi maritoque impetravit, domum remeavit. Ipse enim dux ideo non venit, quia nunquam se cuiusquam imperatoris faciem videre praesumpturum firmavit. Postea vero

1) De hac coniuratione vide ann. Hild., Wiponem et Annalistam Saxonem. 2) Cf. ann. Hild. et Wiponem c. 37. 3) Reichenhall, ubi monasterium Altahense praedia quaedam habuit. Cf. Mon. Boic. XI, 187. 4) Cf. ann. Hild. et Ann. Sax. ad a. 1037. 5) In castello Spella (ann. Hild.) imperator pascha peregit, non Sutrii.

filius eius, quem obsidem miserat, nescio quo terrore perterritus fugam iniit, set soror eius remansit. Hinc caesar intelligens eum dolose agentem, cum nullo modo posset eum revocare, ducatum nepoti ipsius, nomine Weimaro, tradidit, indeque in montem Cassinum perrexit, quo ut pervenit, omnia a praedicto Pandulfo vastata repperit, res monasterii distractas, monachos fugatos. Et quia rector ibi defuit, ipse abbatem substituit, Rihherium scilicet abbatem Leonensem, monachum vero Altahensem, ipsumque una cum Weimaro persecutorem fecit Pandulfo malo [1]. His itaque compositis repatriare disposuit temporibus Augusti mensis, unde et maximam partem exercitus perdidit, quos horrenda aestatis rabies miserabiliter extinxit. Chunigunda quoque nupta regalis et Herimannus, filius imperatricis, dux Sueviae cum innumera multitudine interierunt eadem clade.

Praesulis emeriti tunc et flatus Godehardi
Carnem dimisit et coelica regna petivit.

Cui substituitur Tiemo regius capellanus in episcopium Hildenesheimense [2]. Herimannus marchio obiit [3]. Stephanus Ungrorum rex in die assumptionis sanctae Mariae terminum fecit carnalis vitae [4]. Maxima defectio frugum per totum contigit Teutonicum regnum, ita ut in plerisque locis homines fame deficerent et multae villae fugientibus colonis vacuae starent.

f. 69'.

1039.

Imperator natale Domini Goslarae feriat. Sophia abbatissa Gandesheimensis moritur [5]. Schebis mar-

1) Vide de his rebus Amatum (ed. Champollion-Figeac) II. c. 4—6, Desiderium in Libro dialogorum et chron. mon. Cassinensis II. c. 63. 2) Cf. ann. Hild. 3) fortasse marchio Misnensis, Ekkehardi frater, de cuius morte nil certi constare videtur. Cf. ea, quae annalista noster ad a. 1046. de morte Ekkehardi tradit. 4) Cf. Wiponem c. 38 et Vitam Stephani maiorem c. 18. 5) Cf. ann. Hild.

chio Ungarie eodem anno est defunctus[1]. Caesar pascale festum Niumago feriavit, pentecoste oppido Traiectensi, ibique altera die eiusdem festi obiit pridie Nonas Iunii, Henricum filium relinquens heredem regni. Eodem in tempore patruelis et equivocus eius viam tocius carnis est ingressus. Rihhardus abbas Fuldensis obiit, cui Sigiwardus ipsius monachus succedit[2]. Aestas calore validissima et maxima fuit frugum abundantia. Eclipsis solis facta est 11. Kal. Septembris. Reginpoldus episcopus Spirensis moritur, eique Sibicho substituitur[3]. Egilpertus etiam Frisingensis praesul est defunctus, et Nitzo in pontificatum est subsecutus. Adalpero dux Carintanorum fuga est elapsus de exilio, vita decessit[4].

1040.

Rex Henricus natale Domini Radisponae feriavit, et inde profectus Augustam venit. Illico devenerunt legati Italorum[5], expetentes regis iudicia. Paschale vero festum in Ingelenheym celebravit, ibique conventionem cum principibus habuit. Illic Mediolanensis archiepiscopus, quem supra diximus dampnatum, regis gratiam et suum recipit episcopatum[6]. Eiusdem anni autumno rex bellum indixit Boemico regno, ubi plurimis suae militiae perditis rediit sine successu prosperitatis[7]. Tunc etiam vini exiguum et factum est accerrimum.

1041.

Annum rex in Mimigartovurti[8] initiavit, ubi Boemico duci filium suum, quem vadem habuit, remitti

1) De hoc marchione Ungariae nil inveni, nisi forte Sebus ille est, cuius Simon de Keza (Mon. Arpadiana p. 109. 110) et Thwrocz (Schwandtner SS. rerum Hung. I. p. 120. 122) mentionem iniiciunt, sed mortem eius anno 1041. adscribunt. Aventinus in Annalibus Boiorum p. 492 ad annum 1038. refert: *Schebus, dux Ungrorum, vitam finivit.* 2) Cf. ann. Hild. 3) Cf. Herim. Aug. 4) Cf. ann. Hild. ad a. 1036. et Herim. Aug. ad a. 1039. 5) Ann. Hild. 6) Cf. Ann. Saxonem. 7) Cf. Ann. Saxonem, Herimannum Aug., Cosmam Pragensem II. c. 8—12. 8) Münster. Cf. Ann. Saxonem.

mandavit, ut ipse captivos redderet, quos in prae-
Mart. 22. dicto bello cepisset[1]. Pasca oppido Traiectensi fe-
Apr. riat. Diebus rogationum principum conventum in
27–30. Saligenstatt evocavit[2], consilium habiturus, qualiter dedecus suum esset correcturus. Illo Boemiorum legati devenere, seque ipsumque ducem in regis conspectum venturum spoponderunt. Nihil impetrantes redierunt, quoniam, pacem saepius hoc anno temptantes, principes audierunt consiliantes, dux nisi semet una cum regno deditum veniret, regem cum exercitu super se rursus venturum sciret.

f. 70. Hoc anno Petrus rex Ungrorum regno est privatus, coniurantibus adversum se suis primatibus. Inde hoc ortum sit, audiat qui velit. Stephanus bonae memoriae rex, avunculus ipsius, cum filius eius patre superstite esset mortuus, quoniam alium non habuit filium, hunc fęcit adoptivum ipsumque regni heredem locavit; filium fratris sui digniorem in regno, quia hoc non consensit, cecavit et parvulos eiusdem exilio relegavit. Hic igitur ipso vivente in regno solidatus, iuravit, ut praeceperat avunculus, se dominam suam reginam semper honoraturum nec quicquam eorum, quae rex dederat ei, ablaturum, si post mortem ipsius vitam illi donaret Dominus. Quod ut firmius fieret, addidit iuramento, se contra omnes, qui eam vellent calumniari, pro posse et nosse semet subsidio fore, et in eadem verba omnes iuravere, qui principes regionis fuerunt. Stephano demum vita decedente et Petro eius gratia in regno succedente, fides ipsius patuit, quae prius quasi bona latuit. Nam unius anni tempore tractavit eam honorifice, quo peracto spatio destituit illam omni bono. Primum quidem praedia, quae a marito vivente susceperat, et pecuniam, quam seorsum habuerat, ipse vi abstulit, eamque iurare compulit, ut de residuo nihil daret cuiquam praeter suam licen-

1) Cf. Herim. Aug. 2) Cf. Stumpf l. l. n. 2209. 2210.

tiam. In quadam etiam urbe eam locavit talique custodiae mancipavit, ut nec ipsi potestas esset usquam progrediendi nec cuiquam advenientium eam conveniendi. Cum hoc toto triennio passa fuisset, et ipse nihil de iniuria minuisset, ipsa principes regni convocavit et facti sibi iuramenti eos commonuit[1]. Qui, moti misericordia, regi suasere ab hac quiescere iniuria, ne omnes simul cum illo in miseranda inciderent periuria. Set cum sepius esset amonitus, mala mens et malus animus in pertinacia perduravit finetenus. Postremo indicaverunt, semet f. 70'.
nolle esse periuros et, nisi matronae suae cedat, illum deserturos. Quod cum parvipenderet, et nihil eorum, quae dicebantur, intenderet, tempus advenit Dei gratia, quo eius terminaretur nequitia, ut scribit quidam sapientissimus: *Ante ruinam exaltatum est* Prov. 16, 18.
cor eius, quia nullo modo voluit consentire, nec super hac re ullum ultra verbum dignabatur audire. Quo perspecto principes illius regionis unanimiter inierunt consilium, ut interficerent quendam illi fidelem, nomine Budonem, horum omnium malorum auctorem, cuius omnia fęcerat consilio, quoniam ipse illius congruebat animo. Venientes igitur ad regem, ad paenam mortis constanter expetierunt eundem, quasi omnium illorum hostem communem, qui terrae suae et comprovincialium tractaverit perniciem. Rex vero videns, semet ipsum in malo positum neque illi posse conferre praesidium, fertur respondisse: *Quandoquidem illum liberare nequeo neque morti tradere volo, non vobis eum abnego.* Quod ut audierunt, mox eum comprehendentes interfecerunt ipsum, in frusta concidentes et duobus parvulis eius oculos eripientes. Unde rex vehementer extimuit, et eadem nocte in terram Baioariorum perfugit cum paucis, quamvis eos merito sibi infestos sciret eo,

1) Mirum est, quo modo Keza et Thwrocz, qui annalium nostrorum vestigiis hic insistunt, hanc narrationem corruperint.

quod sine causa inimicos eorum adiuvisset. Nam quoniam omnes bonos studuit impugnare et consilium impiorum semper adiuvare, Boemico etiam duci, suo seniori, nostro regi repugnanti, maximo fuerat subsidio prioris anni, ut diximus[1], autumno. Et hoc divino factum est iudicio, ut quem ille lacessivit inmerito, huius indigeret pietate in suae dignae depositionis ęgestate, a quo et nulla prius acceperat nisi bona, set ille velut malus pro bonis reddiderat mala. Rex tamen noster excepit eum cum omni gratia et plurima illi impendit beneficia, condolens eius miseriae et suae propter Deum oblitus iniuriae. Ungri autem, ut eum aufugisse cognoverunt, alium sibi regem statuerunt, qui Obo vocitatus regio more mox est consecratus[2]. Harum rerum summa a duobus regni principibus est perpetrata, quorum unus Ztoizla nomen habuit, alter Pehzili dictus fuit[3]. Igitur rex idem, habito sinodico concilio, cum communi episcoporum et principum consilio omnia decreta rescindi statuit, quae Petrus iniuste secundum libitum suum disposuit, et episcopis duobus pontificia vi sublata reddere voluit, sed quia alii ordinati erant, hoc Romani praesulis iudicio reservandum
f. 71. censuit. Diotmarus Iuvavensis archiepiscopus, paralisi dissolutus, miserabiliter defungitur, eique Belding substituitur[4].

Item ad Boemos facta est expeditio meliori, quam pridem, Deo gratias auspicio. Ipsi quidem Sclavi regiae noluerant subdi potestati, sperantes, semet nunc quoque victores fore, ut fuerant prioris anni expeditione. Rex autem Henricus cum omnibus suis principibus humiliavit se Deo, cum propheta dicens
Ps. 115, 71. ore et animo: *Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me,* illam scripturam semper meditans, quod

1) Cf. supra ad a. 1040. 2) Cf. Herim. Aug. 3) Toyslan et Pezli apud Thwroczium p. 123. 4) Cf. Ann. S. Rudberti Sal. (M. G. SS. IX, 773).

Dominus corripit castigando, corripit omnem filium, Hebr. 12, 6.
quem recipit. Hinc iustus iudex omnium, nullum reorum impunitum dimittens, nostrorum humilitatem respiciens ac illorum protervitatem, quatenus nostros elevavit passionis adversis, tantum illos deiecit prior prosperis. Nam rege cum exercitu adveniente ipsi sylvas occluserant, undique armis parati eos prohibere, ne terram eorum possent introire, sed providente gratia Dei optimum consilium incidit regi, ut aliquot dies contra viam munitam residerent, quasi illic pugnando ingressuri essent. Ubi saepe nuncii ducis advenerunt, sed nihil regia maiestate dignum retulere. Rex autem, dimissa ibi magna multitudine, circuiens sylvam per devia, terram illorum invasit occulte, quod incolae non antea cognovere, quam omnes eos simul incolomes salva sua substantia infra regionem consistere audierunt. Sed et tanta eos tenuit superbia, ut neque fugata essent pecora, neque segetes messuissent eo, quod nullo modo introventuros credidissent. Haec omnia propter divinam bonitatem nostris evenere ad utilitatem, qui sex ebdomadarum spacio cum omni abundantia conversati sunt in illo regno. Vastant igne, quae ibi supererant, exceptis duabus provinciis, quas illis humiliatis dimiserant. Hoc in tempore dux, certior factus de suo et suorum periculo, legatos tandem frequentes direxit ex animo ad omnes principes, ut deprecatores essent, sed quandoquidem conditionem placitam non obtulerunt, saepius infecto negocio coacti redire. Igitur multi terrae principes una cum f. 71'.
Pragensi episcopo caesarem adeunt, inscio duce se dedunt gratiamque obtinent, consilium incolarumque aperiunt, aut ipsi duci ad caesarem sponte veniendum, aut ipsum propediem in vinculis sese adducturos. Quod ubi dux cognovit, insidias praeoccupavit, legatos ex animo supplices mittit, omnium familiarium purpuratorum auxilium ac opem implorat, ut

liceret, sese cum omni regno suisque dedere et gratiam caesaris, veluti ipsi suisque placeret, quaerere. Promisit quidem sub iuramento, se Radisbonam venturum et omnis subiectionis humilitate caesari subditurum et octo millia semisses pondere regio pensurum et omnes captivos de Bolania redditurum et quicquid caesari vel cuiquam purpuratorum vi vel fraude subtraxisset, totum in integrum restituturum. Et huius rei quinque dedit obsides, filium scilicet suum et pueros quatuor principum, quos caesar morte, qua liberet, perderet, nisi ipse condicta perficeret. Ipse etiam munitiones sylvarum iussit aperiri, qui antea fecerat eas muniri, et viam latissimam planavit, per quam totus exercitus sine vi et clade cum honore et maxima praeda repatriavit. Dehinc duarum hebdomadarum spacio peracto, venit dux die condicto cum plerisque suis principibus et regiis, ut dignum erat, muneribus, et caesare sedente in palatio cum caetu seniorum[1], procidit ille ante consessum illorum discalciatus, ut poscebat honor regius, iam plus humiliatus, quam antea supra se fuerit exaltatus. Primates ergo nostri, eius miseriae compassi, suum illi praebuere auxilium, regi decenter dant consilium, ut supplicem clementer susciperet et priorem dominatum illi redderet. Quem ubi recepit, iusiurandum regi fecit, ut tam fidelis illi maneret, quam miles seniori esse deberet, omnibus amicis eius fore se amicum, inimicis inimicum, et nihil plus Bolaniae vel ullius regalis provinciae sibimet submittere, nisi duas regiones, quas ibi meruit suscipere. Ita Deo gratias clades est reparata, quae priore anno in nostratibus fuerat perpetrata, et rebus bene compositis, unde venerunt,
f. 75'. omnes domum redierunt. Tempore autem praenotatae expeditionis Liutpold, filius Adalperti marchio-
in calce. nis Baioariorum, congregata multitudine, quanta

1) Rex mense Octobri Ratisbonae fuit. Cf. Stumpf n. 2220.

potuit, urbem quandam invadit, quae in terminis marcharum Boiemiae ac Boiariae sita patri suo pridem vi fuerat ablata, et eam expugnavit, innumeram praedam hominum pecorumque abduxit, praefecti quoque filium vinciri iubet, urbem solo aequavit, incolomis domum redit. Homines etiam sui, illius prosperitate provocati, Boemiam denuo perrexerunt, nec minore praeda potiti revertuntur. Idem Liutpoldus Radasponae regi redeunti obviam venit et f. 80.
gratias maximas cum meritis muneribus accepit, inter alia equum optimum, ducis Boemi donum, quem ipse regi detulerat, cum sella miri ponderis et operis, quae tota ex argento et auro fabrefacta fuerat. Sed et marchio praedictum captivum praefecti filium regi tradidit, quem ille mox duci suo reddidit, post regia pietate indulsit eidem promissi thesauri medietatem[1].

Eodem anno in orientali Francia ventus validissimus magna dedit damna adeo, ut iuxta Montem Pavonis[2] sylvae magnam partem prostraverit, innumera aedificia subruerit. Caritas et penuria frugum maxima per totum Franciae regnum. Hoc etiam anno Isac[3] fluvius iuxta Pozannunium[4] inundans miserandam stragem dedit, terram vinearum funditus usque ad saxa proluit et aliis iuxta iacentibus eandem ingessit et plerasque taliter inutiles reddidit, ex utraque parte alvei aedificiorum, iumentorum et agrorum maximam cladem fecit. Sed et Athesis fluvius apud Veronam tanta eluvie subito excrevit, ut domorum, iumentorum, hominum, agrorum partem vastando perdiderit, et vis diluvii homines, qui evaserant, coegit ad aedificium, quod vocatur Aerina[5], confugere et, quamdiu aquae decrescerent, illud incolere.

1) Cf. chronicam Cosmae Pragensis II. c. 2, ubi similiter, sed brevius res referuntur, et Ann. Saxon. ad a. 1042. 2) i. e. Bamberg. 3) Eisack. 4) Botzen. 5) Arena Veronensis.

1042.

Caesar Heinricus natale Argentorati celebravit, quo magnum principum conventum convocavit[1]. Et devenere inter reliquos Obonis Ungarici regis legati, Petro deiecto, ut diximus[2], substituti. Nam postquam audivit, Petrum eundem caesaris gratiam recepisse, extimuit, hoc suo dominatui cladi futurum esse. Ideoque misit legationem talem, ut perquireretur, an certas inimicicias sperare deberet an stabilem pacem. Caesar autem, ubi ex his verbis persensit superbiam eius mentis, talibus obviavit responsis: *Si quidem ille me et meos cavet iniuriis lacessere, ego nolo inimicicias incipere, sin vero ipse inceperit, quid possim, Deo auxiliante sensurus erit*[3].
f. 80'. Cum his etiam suos legatos curavit dimittere, qui certitudinem aliquam de his sibi possent reportare. Ille autem hac occasione patefecit dolum, quem tractaverat ante. Nam omnes copias multitudinis, quam habuerat, continuo clam vocari iusserat, fide corrupta nostrates invasurus et, quicquid cladis latrocinando posset, facturus, et, ne fraus eius a quopiam posset praecaveri, omnes hospites, qui advenerant, mercatores, nuncios, sed et regios legatos, quod ubivis gentium nefas est, inibi iussit retentari. Et ex utraque Danubii parte perrexit terram Baioariorum spoliare, ipse rex in meridiana fluvii plaga cum innumero milite, duci suo praecipiens, in aquilonari itidem facere. Et, ut assolent Sclavi, euntes per sylvas, lupina fraude semet occultarunt usque in locum, quem condixerunt. Incipientes igitur a flumine Treisama[4] grassati sunt miserabili praeda, alios quidem comprehendunt in lectis cubantes, alios vacantes et huiusce mali inscios sub tectis. Qui autem se et sua armis defen-

1) Ann. Saxo ad a. 1043. refert, Augustae regem nativitatem Domini celebrasse, sed in errorem incidit. Cf. Stumpf n. 2223. 2224. 2) Cf. supra ad a. 1041. 3) Cf. Thwroczium p. 123. 4) Traisen.

dere nitebantur, nimia multitudine obruti perierunt, quoniam illi solitarii fuerunt. Hoc autem factum est feria secunda sexagesimae a primo crepusculo us- Febr. 15.
que vespere. Dehinc circa Tullinam civitatem[1] pernoctantes, in terram suam redierunt ovantes. Nec inmerito, nunquam enim de Boiaria tantam praedam accepit Ungaria. Sed quod nostris peccatis exigentibus divina vindicta tunc in nobis perpetravit, hoc illis partim in posterum reservavit, partim interea loci repraesentavit. Nam quanta regi suisque sequacibus fuit prosperitas, tanta duci et suis conmilitonibus obviavit austeritas. Qui dum ex praecepto regis eadem die et simili fraude septentrionalem Danubii terram deberet vastare, quia similiter imparatos offendit, magnam quidem captivitatem congessit, sed eam Dei gratia citissime remisit. Aderat f. 81.
ibi tum marchio Adalbertus et Liupoldus, filius eius, cum parvissima manu militum et servitorum, quippe nec triginta habentes scutatorum. Alii etiam quidam nobiles et fortes in praediis suis morabantur, qui hoc malum nec sciverunt nec opinabantur. Ex re tamen et tempore sunt congregati et semet invicem cohortati, hostium legionibus obviare et, quantum sibi Deus auxiliari dignetur, temptare, dicentes, honestius esse vitam perdere cum honore, quam cum dedecore prolongare. Hostium autem, ut comperimus, decem legiones fuerunt, quae in tres partes divisae sunt. Harum una praedam servabat, altera nostratibus pugnatura obviabat, reliqua post tergum irruitura latitabat. Nostratium autem, quamvis non adhuc essent trecenti, insiluere eos impetu ingenti, multos necabant, plerosque sauciabant, paucos, qui reliqui erant, fugabant. His Dei gratia superatis, diverterunt eripere multitudinem captivitatis. Sed et illos facile vicerunt, quia Dominum adiutorem habere meruerunt. Omnes quoque captivi, faeminae

1) Tulln.

simul et viri, postquam suos cognoverunt, Deo gratias rettulerunt, et lanceis, cultris atque sagittis in captivatores sunt grassati, donec omnes iacebant trucidati. Quicquid enim sors obtulit, hoc ira telum facit. His ita gestis, Domino condignis laudibus redhibitis, domum redire volentes, maximas legiones, turmas vident post se in insidiis latitantes, partem scilicet post tergum, ut dictum est, in se paratam irruere et in ore gladii neci tradere. Quam mox ut videbant, pauci tantam multitudinem, mire titubabant, maxime quia iam de tanta cede fessi fuerant. Tandem spe conversa ad gigantem ecclesiae, cui peccatum est diffidere, inierunt praelium, invocantes auxiliatorem Dei filium; quo etiam adiuvante hostes sunt penitus occisi, praeter qui fugati incurrerunt gurgitem fluminis, Maraha[1] dicti, quorum etiam plurimi vitam sub undis dimiserunt, paucis-
f. 81'. simi evaserunt. Dux autem, vix fuga elapsus et equi subsidio ultra aquam transvectus, praesentatus regi percepit pro mercede oculorum usibus carere. Mos namque est, milites donari felicibus praemiis, iste destitutus est ducatu donisque divinis. Hac de mercede manifestatur, quae ipse et sequaces eius fecerint. Per idem tempus aliqui de Ungaria egressi contra Carintheam captivaverunt innumerabilem praedam. Sed Gotefrido marchione[2] superveniente et eosdem invadente, omnes occubuerunt praeter paucos, qui latenter effugerunt. Carintani autem, captivitate recepta, ovantes regressi sunt ad propria[3].

Febr. 21. Hisdem diebus, id est in quinquagesima, traditus est principatus Baioariae in civitate Basilea Henrico duci, fratrueli Henrici ducis et dominae Chunigundae imperatricis, uxoris Henrici piissimi et dignissimi

1) March. 2) Gotefridus, filius Arnoldi de Lambach, praefuit marchiae Carintanae. 3) Cf. de his rebus Herim. Augiensem. Keza et Thwrocz, nostros annales secuti, de industria omnia deformant.

imperatoris. Pascalem agnum deinde rex noster Apr.
Coloniae[1] victimavit et principes totius regni con- 11.
gregavit, consilium quaerens ipsorum, qualiter ob-
viare deberet gestis Ungrorum. Qui omnes velut
uno ore consiliati, terram illam decere cum exercitu
invadi et Dei gratiam temptare, qui iusta iudicia
nulli vult denegare de his, qui absque alicuius cau-
sae obiectione tanta in regnum Teutonicum grassati
fuerant persecutione. Post haec pentecoste Wirtz- Mai.
burg fecit et Brunonem episcopum[2] cum viris et 30.
feminis misit ad desponsandam sibi Wilelmi comitis
Provinciae filiam. Expeditio vero facta est in mense
sequenti[3], coadunato exercitu ingenti, quibus divina
misericordia prosperum cursum proficiscentibus et
magnum honorem contulit pervenientibus. Pertrans-
ierunt etenim terram ex aquiloniali parte Danubii
fluminis suasu et consilio Boemici ducis, qui tum
inibi una affuerat cum copia, quae regem decuerat.
Incolae autem missa legatione promisere, se, quic-
quid rex praeciperet, velle perficere, nisi tantum Pe-
trum regem suum recipere, quod tamen rex summo-
pere voluerat et propter quod eum secum adduxerat.
Postquam etenim auxilium suum illi promisit, hoc
in restituendo regno illi ostendere cupivit, sed sui
adeo execrabantur, ut nequaquam se illum receptu-
ros faterentur. Novem ibi civitates rex deditione f. 82.
cępit, quas rogatu Bratezlavi et consensu incolarum
fratrueli Stephani regis, qui cum eodem duce ad-
venerat, dedit; duae tamen earundem urbium, Baioa-
ricae marchae proximae, ante adventum nostratium
urbanorum ignibus sunt absumptae[4]. His itaque Dei
adiutorio patratis, rex et sui redierunt ad propria,
Deum laudantes de successu prosperitatis. [Hein-
ricus rex 5. Idus Aug. fuit in Altaa.] Heribertus

1) Cf. Annal. Saxon. (1043.) et Stumpf n. 2226. 2) Praefuit ecclesiae Wirzeburgensi. 3) Autumno, ut Herimannus refert. Haesito, an emendandum sit: *mense Septembri.* 4) Cf. Herim. Aug.

Eichstetensis episcopus obiit, cui germanus suus Gezman succedit, qui paulo post obiit[1]. Ulricus Ratisbonensis abbas obiit, ipsique succedit Erchanpertus abbas Monensewensis. Tegernsewensem abbatiam, quam idem simul habuit, Herrandt eius loci monachus accepit. Nitzo Leodiensis episcopus obiit, succedit Watzo praepositus eiusdem loci.

1043.

Rex natale Domini Goslare peregit. Illic pontificatum Eichstetensem tradit Gebehardo. Inter alios principes adfuit Brateslav dux Boemiae, qui decentia munera regi detulit, ipseque magnifice tractatus peractis diebus rediit, regiis donis honoratus. Legati quoque Ruzonum magna dona tulerunt, sed maiora recipientes abierunt[2]. Bulanici ducis nuncii, cum muneribus suis reiecti, nec praesentiam caesaris aut affatum meruerunt, quia ipse, iuxta quod iussus erat, noluerat venire. Missa tamen denuo legatione se excusat et, quia venire non potuerit, iusiurandum promittendo confirmavit, sicque gra-
Febr. 14. tiam recipere regis meruit. Isdem temporibus Gisla imperatrix, mater caesaris, est defuncta et ab ipso et episcopis atque principibus iuxta virum Chunra-
Apr. 3. dum imperatorem Nemidone sepulta[3]. Pascha rex Leodii celebravit, inde regi Karlingorum fabulatum
Mai. 22. obviavit[4]. Pentecoste fuit Boderabrunnun; illo venere legati Ungrorum, pacem cum nostratibus reformare cupientes, et proinde magnam exhibitionem regi promittunt, scilicet captivorum, quos haberent, remissionem, eorum, quos reddere non possent, coemptionem et insuper regis gratia multa auri pondera[5]. Rex vero, pertractans eorum intentionem,

1) Cf. Lambertum. 2) Cf. Lambertum. 3) *Nemeti iuxta maritum imperatorem sepulta est.* Herim. Aug. 4) Cf. Stumpf n. 2240. 5) Lambertus narrat, iam Goslariae legatos Ungarorum venisse ad regem.

scilicet quod impedire vellent eius expedicionem, respondit, quia pactum facere nollet, priusquam Radasponam veniret, et nisi tunc tale quiddam super exhibita adderent, quod satrapae sui contra illius terrae populis probarent. Mox ergo, ut rex et sui expediti eo venerant, et illi, ut iussum fuit, aderant, iterata sponsione ampliantes cuncta, quae promiserant, sed ipsi una re pactum iam futurum turbaverunt, quippe quia regem pro pace iurare postularunt, ideoque infecto negocio redierunt. Veniens Aug.
ergo rex ad terminum regni, ubi exercitus recenseretur, decrevit, ut hostilis terra procul dubio invaderetur, et factis machinis contra opus, quo fluvium Rapiniza[1] occluserant, in crastinum impugnare disposuerant. Tandem venere supplices legati, dolore animum stimulante, desperati, pacem et veniam pro delictis orantes, et quicquid regi et optimatibus placeret, se facturos spondent. Tunc condixerunt, captivum populum, ut praedictum est, remittere vel precium sub iureiurando reddere et partem regni[2] retradere, quae quondam Stephano data fuerat causa amiciciae, et insuper pro lenienda regi offensa dare 400 auri talenta totidemque pallia, et reginae Gislae reddere cuncta, quae maritus eius idem Stephanus ei donaverat, quae iste, sicut Petrus, illi pridem abstulerat. Haec autem omnia rex Ungaricus ipse iurando promisit et insuper datis septem obsidibus, quos nostrates voluerunt, stabilivit, ea lege, ut in festo Andręae his perfectis reciperentur aut infectis perderentur. Proinde Deo digna reddentes praeconia, unusquisque domum redit. Mox convocata non minori multitudine profectus est rex Vesontionum, urbem Burgundiae, et illic accipiens, quam praediximus, sponsam, duxit eam Mogonciacum ibique consecrari eam reginam curavit, consummatisque diebus ordinationis in Ingilenheim fecit nuptias

1) Repcze. 2) *regni usque ad Litaha flumen partem.* Herim Aug.

Nov. regio, ut decuit, apparatu[1]. Aderant omnes pene primarii de cunctis regionibus Romani imperii, praesules, duces, marchiones, praesides, sed et reliquarum dignitatum principes innumerabiles. Non multo post obiit Liutpolt, filius Adalperti marchionis, egregiae indolis iuvenis, qui multorum nimio dolore deploratus a patruo suo archiepiscopo Treveris est tumulatus[2].

1044.

Rex cum nova nupta Treveris[3] natale Christi
Apr. 22. celebravit, in Noviomago pascha[4]. Gozzilo dux Luthareorum obiit, et de bonis eius contentio inter filios oritur[5]. Duos enim ducatus totidemque filios habuerat, quorum alteri Godefrido ducatum unum, dum viveret ipse, tradi permiserat, alterum usque ad finem vitae sibi retinuit, quem alteri filio Gozziloni, defuncto patre, rex dare voluit. Frater vero consen-
f. 76. tire noluit. Ita discessum, ut nec rex illi primatum tradere, nec ille regi voluntarie cedere vellet. Item in Ungaria prorupit discordia intestina, quae iam diu in abditis fuerat conflata, scilicet contra iniustum regem iusta coniuratio, ut non digne exaltatum digna deponeret humiliatio. Conspiraverant enim plerique principes, quod in regem suum deliquerant coram Domino poenitere et, ut ipsum placatum habere possent, illum, quem inique substituerant, aut vinctum aut necatum caesari tradere quaerebant. Sed et hoc accedebat eius infortunio, quod regem nostrum offenderat denuo non complendo, quam praecedenti autumno sponsionem fecerat, quam etiam iure-

1) *Sponsam suam accipiens et Mogontiaci reginam ungui faciens, regales apud Ingelenheim nuptias celebravit.* Herimann. Aug. De tempore nuptiarum cf. Stumpf n. 2249—2255. 2) Iisdem fere verbis Herimannus Augiensis: *Liutpaldus, Adalberti marchionis filius, magnae virtutis et pietatis adolescens, — — Treveri a patruo suo Poppone archiepiscopo sepultus est.* 3) Cf. Lambertum. 4) Cf. Stumpf n. 2260. 2261. 5) Cf. Herim. Aug.

iurando, ut praediximus, firmarat. Igitur quidam, qui eiusdem conspirationis conscius fuit, suam salutem pactus omnes coniuratos regi prodidit, innotuit, quorum aliquos iussit necari, aliqui gratia Dei liberati eius effugere manus. Hac de causa amplius incitati omnes, qui potuere elabi, caesaris auxilium expetunt ipsique fraudes tyranni, quas pacto intulerat, retexerunt et eum ad expugnandam terram suam invitaverunt. Denique caesar, ab iis persuasus, sed plus, ut postea patuit, iussu divinitatis instinctus, iter suum ad illa loca disposuit, quam occultissime potuit. Ibi vero fuit cernere, quia iudex iustus Deus iniusticiam voluit disperdere, quia nemo mortalium talem gratiam auderet optare, qualem postea per semet ipsum voluit demonstrare. Perrexit enim rex, quasi pactum exacturus et de marcha Baioarica reversurus geminum tantummodo ducens exercitum, Noricum et Boiemicum[1]. De reliquis regni sui partibus nullos nisi aulicos suos habebat, quoniam fructuum penuria illis stipendia denegabat. Sed et hoc fecerat praeter consilium pene omnium suorum subditorum, ideoque credendum, Deum menti illius inspirasse, quod ipse ante saecula praedestinaverat futurum esse. Dum hoc iter ageret, Obonis legati complures venerunt et fugitivos suos, qui cum rege fuerant, repetierunt, eos praedones regni sui conquerentes et primos incentores adversus nostrates fuisse asserebant[2]. Principem quoque nostrum quaerebant avertere ab eo, quod ceperat, itinere, plus aliquantulum, quam spoponderant, promittentes; maximopere tamen multitudinem explorare satagebant. Honorifice quidem ac sapienter retenti sunt, donec utrique exercitus unius diei itinere inter-

1) *Cum exercitu Norico et Bohemico* Simon de Keza p. 112. Eadem verba repetens auctor chronici Thwrocziani pag. 125 addit: *et phalangibus aulicorum suorum.* 2) Cf. Simonem de Keza et chronicon Thwroczianum l. l.

f. 76'. iecto convenerunt, quoniam ille, qui pacem fictam quaeritaverat, immensas copias armatorum interim congregarat. Cum vero, internunciis utrimque contionantibus, nec possent, nec vellent conciliare, statuerunt armis decertare et diem condixerunt tercium, in quo divinum apparuit iudicium. Quo die cum noster heros ad locum condictum venisset et illum minime reperisset, volens eum insequi ultra Rabaniza fluvium, invenit iter stagnantibus aquis et machinis more illis solito interclusum. Ducatum autem praebentibus Ungris, quos secum habuit, tota nocte equitando sursum per ripam crepusculo facili vado transit. Quorum adventum prospectantes, qui machinas custodiebant, relictis omnibus, quae habuerant, fugerunt. Sic nostratibus est via patefacta et multa victualium praeda relicta. Tercia demum die post condictum praelium, cum primi nostrorum transirent Rhaba fluvium[1], ecce innumerae acies armatorum eminus apparent, qui campum latissimum, quasi sylva succrevisset, operuerunt. Sic parati paucitatem nostrorum suis copiis undique circumvallant, ut nullus eorum saltim fugiendo mortem posset declinare. Sed Deus, qui nihil dimittit impunitum, quod suis oculis videtur iniquum, iusticiam convertens in iudicium, omnem illorum intentionem redegit in nihilum et, quicquid ad nostrorum instituerant deceptionem, translatum est in eorum perditionem. Dignum hoc quoque fuerat Dei iudicio, ut non prius reconciliaretur illa regum commotio, quam illorum multo expiaretur cruore, quorum incepta est furore,
Matth. 26, 51. quia, *quisquis gladium acceperit, gladio*, sicut dicit ipsa veritas, *peribit*. Caeteris etiam gentibus per latum orbis spacium degentibus exemplum de istis dignatus est rex regum dare, qualiter primates suos
Rom. 13, 1. et maxime reges debeant honorare, cum non sit potestas, nisi a Domino, ut testatur sancta lectio.

1) Raab. Cf. Herim. Aug.

Igitur eo die, cum vellent confligere, ut supra diximus, uterque populus tantum progressus, ut facilis invicem esset prospectus, tenuis nubecula, id est caeleste signum, adparuit iis, quos apostolicus, successor beati Petri, eo quod regem suum dehonestarant, iam pridem anathemizarat. Et ecce turbo vehemens, ex parte nostratium ortus, pulverem nimium adversariorum ingessit obtutibus[1]. Hoc sedato, nostris Dominum invocantibus et illis econtra incondite vociferantibus, pugna nimis atrox inchoatur et summa vi utrimque decertatur. Nam illo primo Iul. 5.
congressu fortiter resistebant, quia aliquorum de f. 77.
Baioaria legationibus freti erant de nostrae multitudinis raritate et sui exercitus multitudine. Postquam vero se viderunt inaestimabiliter cadere, terga vertere et cedere ceperunt, et isti ferme eos per sex miliaria insecuti sunt fugientes. Terram innumeris cadaveribus operiunt; lancea regis deaurata capitur[2]; episcopi, capellani, principes, alii complures retrahuntur; tandemque nostri, nimiae caedis pertaesi, ad castra sua ovantes sunt regressi. Denique caesar, discalciatus et laneis ad carnem indutus, ante vitale sanctae crucis lignum procidit, idemque populus una cum principibus fecit, ipsi reddentes honorem et gloriam, qui illis dederat tantam victoriam, tam mirificam, tam incruentam, sed et pro divino munere omnes omnibus dimiserunt, qui quippiam in se committentes eis debitores fuerunt. Post haec mortuos suos, qui perpauci erant, quaesierunt et eis debitum humanitatis impenderunt, vulneratis autem quam poterant curam, et eos remiserunt ad patriam.

1) *Tradiderunt Teutonici, quod, cum ad proelium appropinquassent, cum coelesti signo nebula tenuis apparuit, turboque vehemens divinitus incitatus terribilem pulverem obtutibus ingessit Hungarorum, quos iam pridem, ut dicitur, quia Petrum suum regem dehonestaverant, dominus apostolicus anathemate damnaverat feriendo.* Thwrocz p. 125. 2) Cf. annales Leodienses (M. G. SS. IV, 19) et Arnulfum Mediol. (M. G. SS. VIII, 18).

Interea populus terrae nunc gregatim nunc singillatim venit et caesari victori se dedidit, qui placido suscepit eos vultu, tradidit Petro regi suo. Inde simul pergunt, Wizenburg[1] veniunt magno comitatu, regio excepti apparatu, ibique caesar Petrum regiis fascibus vestivit, et manu sua ducens in sede sua restituit, et in templo Deiparae Virginis, ubi erat congregatio principum, et regis ad populum et populi ad regem facta est reconciliatio. Illis etiam petentibus concessit rex scita Teutonica[2], et relinquens illis suorum praesidia, ipse domum rediit et Radasponam venit. Non prius gustavit ea die quippiam, quam templa omnia nudis pedibus et in laneis circuivit et altaria templorum singulis palliis vestivit. Non visa prius in ea urbe tanta divina exultatio plaebis et principum, tam devota clericorum et monachorum et virginum Christi laudatio. Caeterum Obo fugiens in quendam vicum pervenit, villaque fulmine succensa ipse pene interiit, et vix elapsus fugitando latitabat, usque dum comprehensus communi iudicio nostrorum et suorum capitalem subit penam.

His auditis dux Gotefridus per amicos et nuncios aures caesaris cepit compellare, ut sententiam suam
f. 77'. super illum dignaretur mutare, spondet, quicquid imponeretur, se libentissime acturum, passurum, si tantum retineret utrumque ducatum. His caesar respondit, si vellet ab iniquitate desistere et germano suo sine vi primatus consortium annuere, regiam maiestatem nunquam memoraturam iam factae iniuriae propter indulgentiam, quam omnibus debitoribus fecerat in finibus Ungaricis; sin autem, eius iniusticiae se nolle consentire, sed, quantum Domino iuvante liceret, obviam ire. Eiusmodi rationis nuncium cum saepius audiret, sed ad hoc nullo modo

1) Stuhlweissenburg. Cf. Thwrocz p. 126. 2) *Ungarios petentes lege Baioarica donavit.* Herim. Aug. *Concessit petentibus Hungaris Hungarica scita servari et consuetudinibus iudicari.* Thwrocz I. I.

perduci valeret, coniuravit cum rege Karlingorum adversus regem dominum suum. Sed et omnes terrae suae homines constrinxit iuramento, ut sibi adessent, contra quoscunque illos inducere vellet, triennio. Haec vero comperto caesare, rex illum ad se venire praecepit, quod ille causa dissimulationis indubitanter fecit. Cumque in conventu principum res eadem cepisset agitari et ipse manifestam rei veritatem non posset inficiari, exquisita sententia a contubernalibus eius est iudicatum, quicquid de parte caesaris haberet beneficiorum, iure esse cariturum. Itaque interdicto utroque ducatu domum rediit et fraudem, quam pridem clam conflarat, tandem aperte contra regnum et regem exercuit, potestatem interdictam usurpando, colonias et municipia terrae muris et armis muniendo, quae dispositis praesidiis replevit, et exinde comprovinciales suos praesides et praesides regi fidos invasit, bona eorum caede, incendio et fuga vastavit. Ecclypsis lunae 4. Non. Novembres, solis 10. Kal. Dec.[1] Diotmarus episcopus Hyldenesheimensis obiit, Azilinus succedit[2]. Khazo[3] quoque praesul Niwenburgensis obiit in finibus Italicis.

1045.

Rex Nemidone, dilecto sibi in loco, natale Christi celebravit, tractans cum optimatibus, ut obviam iret conatibus Gotefridi. Peractis feriis, vocato exercitu ex illis partibus pergit tyrannidem eius opprimere suosque defendere a gentili infestatione, urbemque[4] situ loci munitissimam invasit eamque instructis machinis expugnavit, disiecit, penitus delevit. Id ipsum quoque reliquis[5] Deo iuvante fecisset, si non

1) Cf. annales S. Emmerammi saec. XI. (M. G. SS. XVII. p. 571), ubi lunae eclipsis 5. Id. Novembris adscripta est. 2) Cf. Lambertum. 3) i. e. Kadelohus, cancellarius regis Italicus. Cf. Lambertum ad annum 1045. 4) Böckelheim, non procul ab urbe Kreuznach situm. 5) sc. urbibus.

fame populi prohibitus fuisset, quae tam valida erat
per totum regnum eiusdem anni temporibus, ut
grandes vici plerique vacui remanerent, pereuntibus
f. 78. habitatoribus[1]. Itaque relictis ibi praesidiis, qui
urbes obsiderent et hostes ab incepta vastatione
Febr. cohiberent, ipse inde Augustam venit, ubi Lango-
22. bardorum conventum habuit et cum eis de illius regni
ordinatione disposuit[2]. Inde Frisingam pervenit, ibi
Febr. quadragesimae primam ebdomadam peregit, eoque
24 — regis sui Petri Ungarici nuncii devenerunt, qui ipsum,
Mart. ut proximo pentecoste ad filium suum venire et
2. idem festum cum eo dignaretur facere, petierunt.
Mart. Dehinc die palmarum in Babenberga ramos arborum
31. Domino portavit[3], pascha in Goslari regia villa feria-
April. 7. vit, dieque sancto tradidit Otoni, filio sororis tercii
Otonis regis, Alemanniae ducatum[4], Ebboni capel-
lano suo Niwenburgensem episcopatum[5]. Sed et
filium Baldwini militem per manus accepit illique
marcham suae terrae conterminam, pro qua Gotefri-
Mai.12 dus contenderat, dedit. Dehinc ante dies rogationum
— 18. veniens Radisponam, navigio decenter instructo per-
Mai. rexit Bathaviam, ibi ascensionem venerans domini-
16. cam; inde movens citato cursu pertendit, quo voca-
tus erat, Ungariam. In eodem itinere tentatus est
clade miserabili et non solum perpessis, sed et
omnibus audituris valde lachrymabili. Nam dum per
aquae periculum, quod Poienstein dicitur[6], pro-
ficiscitur et episcopus Wirzeburgensis Brun, cogna-
tus eius, ipsum sua nave subsequeretur, praesul
idem in praescripto saxo fantasiam, daemonis vidit
imaginem eamque sibi loquentem audivit: *Episcope,
quo proficisceris, meae potestatis es et eris, qui quam-
quam nunc tibi nihil ago, in futurum tamen obviabo.*
Ad haec verba constrictus pontificis exorcismo con-

1) Cf. Herim. Aug. ad annum 1044. 2) Cf. Stumpf n. 2270. 2271.
3) Cf. Stumpf n. 2275. 4) Cf. Herim. Aug. 5) Cf. Lambertum.
6) Vortices Danubii infra Grein, qui nunc Strudel nuncupantur.

ticuit et evanuit omnino, sed quamvis semper mendax fuerit, hac tamen vice non ex toto fefellit. Etenim cum rex haud procul inde invitatus et intime rogatus divertisset ad Persinbiugun[1], ubi vidua Adalperonis comitis[2], qui in superiore quadragesima obiit, sibi paraverat convivium vocatis, quos voluit, caesar sedit in colloquio in eminentiori quodam vestibulo. Mai. 19.
Igitur fractis angulis vestibulum concidit et omnes pariter considentes obruit. Caesar ipse plurimis super eum cadentibus infimus cecidit, Deo tamen protegente mortis periculum evasit, praeter quod subsequens lignum brachium, quod illi opposuerat, decorticavit. Prun autem dictus episcopus et Alth- f. 78'.
mannus Ebarespergensis abbas fractis cruribus, conquassatis corporibus, materque familias semianimes inde elevantur, ad cubicula deportantur, in lectulis collocantur, post non multum temporis decursum, eadem clade defuncti, migrarunt ad Deum[3]. Rex inde profectus gratias Deo agit, quod de periculo mortis liberatus, pro his, quos morti proximos dereliquit, animo anxius. Veniens autem Ungariam, regio more susceptus decenter est et honorifice retentus. In ipsa sancta solennitate Petrus rex regnum Ungariae Mai. 26.
cum lancea deaurata tradidit caesari domino suo coram omni populo suo et nostro[4]. Post peractum vero regio luxu convivium obtulit illi etiam auri pondus maximum, quod ille totum militibus distribuit, quos in prioris anni victrici praelio secum habuerat. Eodem anno Berengerus Battaviensis episcopus hac luce privatur, eique Egilbertus, regine capellanus, successor ordinatur.

1) Persenbeug ad Danubium. 2) Richlindis, vidua Adalberonis comitis Ebersbergensis, qui die 27. Mart. in castro Persenberg fato functus erat. 3) Bruno episcopus d. 26. Maii, Richlindis comitissa d. 12. Iun. et Altmannus abbas d. 16. eiusdem mensis obierunt. Cf. Herim. Aug., chronicon Ebersbergense, Necrologium Ebersbergense (Scriptores rerum Boicarum II, 16). 4) *Petrus rex in ipsa sancta paschali* (sic!) *solennitate regnum Hungariae cum deaurata lancea tradidit coram Hungaris simul et Teutonicis multis.* Thwrocz pag. 126.

Oct. 9. Guntherius, vita decedens hac, heremita
Percipit in coelis bravium cuiusque laboris,
Quem prius in mundo tulerat carni dominando[1].

Sub eodem tempore rex Franchonefurt venit ibique languescere cepit[2]. Cumque de die in diem languor magis ingravesceret, quam aliquid decresceret, Henricus dux Boiariae et Otto dux Sueviae, episcoporum nonnulli aliique nobilium quam plurimi in unum conspiraverunt et quem illo mortuo regem exaltarent elegerunt, scilicet Henricum filium Hezilini comitis, patruelem praedicti Ottonis. Deus autem, qui omnia, quae vult, facit, eorum consilia adnullavit et regem, quem castigans castigavit, morti nondum tradere voluit, sed ostendens illi suum salutare non longo post eum levavit hac infirmitate. Adelheit abbatissa Quittiligenburgensis isdem temporibus carneis soluta est membris[3].

1046.

Rex feriavit Domini natale Goslare[4]. Non multo
Ian. 24. post tempore marchio Ekkihardus subitanea morte obiit[5], in Nuunburg[6] rege praesente sepelitur. Die
Mart. 23. vero palmarum Hildenesheimense templum insigne et maxima pars urbis consumitur igne[7]. Rex tempus pascale celebravit in Traiectensi civitate[8]. Eadem vero aestate Moguntia et Ratisbona[9] civitates sunt
Mai. 18. igne concrematae. Adventum Aquisgrani Spiritus sancti cum magno principum concilio peregit[10],

1) Cf. Herim. Aug. 2) Cf. Herim. Aug. 3) De tempore, quo Adelheidis mortua sit, adhuc nihil certi exploratum fuisse videtur. 4) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. 5) *Subito moriens,* Herim. Aug. *Subitanea morte praefocatus,* Lambertus. 6) Naumburg. 7) *Nostrum monasterium — in dominica palmarum* 10. *Kal. April. miserabili incendio periit, simulque tota pene civitas et maxima pars villae interiit,* Wolfherius in vita Godehardi post c. 33 (M. G. SS. XI, 215). 8) Cf. Herim. Aug. 9) Cf. annales S. Emmerammi saec. XI. (M. G. SS. XVII, 571) et Ratisponenses (l. l. 584). 10) Cf. Herim. Aug. et Stumpf n. 2291—2294.

ibique Gottefrido duci gratiam suae reconciliationis f. 79.
dedit ac ducatum unum, cui patre vivente dominabatur. Alter vero nec illi nec fratri habendus permittebatur, sed Gozziloni sublatus Friderico, Baioarie ducis fratri, est datus[1]. His omnibus peractis rex inde discessit ac Mersiburc, natale sancti Ioannis celebra- Iun.
turus, perrexit. Illuc etiam Bratizlao dux Boemorum 24.
Kazmir Bolaniorum, Zemuzil Bomeraniorum advenerunt atque regem donis decentibus honoraverunt. Eodem die fecit rex filiam[2] ipsius velamine sacro velari simulque abbatissam Quittiligenburgensem consecrari. Inde discedens apostolorum Petri et Pauli Iun.
festa Mihsina celebravit[3], ubi etiam conventionem 29.
secundo habens duces praefatos inter se pacificavit. Illic etiam Teti, Dietrici comitis filius, marchas Ekkahardi duas a rege promeruit, terciam, id est Mihsinensem, rex adhuc retinuit[4]. Dei autem genitricis nativitatem rex honoravit Augustae[5]. Igitur con- Sept.
venientibus illuc militibus, iter aggreditur prospero- 8.
que cursu ad Italiam convertitur, perveniensque Veronam civitatem ibi exercitus sui speculatur congregationem. Motis autem exinde castris, sic disposuit seriem itionis, ut ante festivitatem apostolorum Oct.
Simonis et Iude intraret fines Papiae civitatis, ubi 25.
separatim habuit sinodale concilium[6] ac populare iuditium, sic nimirum ordinans ista, ut praedictam solennitatem ibidem celebraret in fascibus et corona. Oct.
Proficiscenti autem illi exinde ac per diversas man- 28.
siones iudicanti iustissime occurrere ceperunt Romani, de die in diem magis magisque conglobati, donec veniret urbem Sudrun[7] dictam, habiturus Dec.
sinodum alteram. Causa vero huius conventus 20.

1) *Fridericus, frater Heinrici ducis Baioariae, dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignavo Gozzilone constituitur.* Herim. Aug. 2) Beatricem. 3) Cf. Stumpf n. 2295—2298. 4) Locus maxime memorabilis de tribus Ekkehardi marchiis. 5) Cf. Stumpf n. 2305—2313. 6) De synodo Papiensi v. Herim. Aug., ann. Corbeienses, Mansi Coll. conc. XIX, 615, Stumpf n. 2314. 7) Sutri.

fuerunt tres pape, qui omnes pariter superstites fuerunt illo tempore. Nam primus[1] illorum, relinquens sedem illam propter illicitum, quod contraxerit, connubium[2], potius sua recesserat sponte, quam ulla coactus adversitate. Unde in unum coniurati Romani supponunt alterum[3] illi adhuc in carne viventi. Primus vero tercio[4] illud regimen pretio vendidit, quia ira permotus sibi subpositum hoc possidere noluit. Quid multa? Omnes in hac sinodo iudicati deponuntur, et Pabinbergensis praesul Suiti-
Dec. gerus, tali sede dignus, ab omni cleri et populi con-
24. cilio approbatur.

f. 79'. Dum autem hec aguntur, recidiva coniuratio in Ungarico regno contra Petrum regem oritur. Nam principes eius et familiares, die noctuque cum illo conversantes, ad tantas insidias pervenerunt consiliantes inique, ut ipso ignorante advocarent quendam Andream, emulum eius, utpute ex eodem ortum semine, spondentes per nuntios, illum communi principum voluntate in regnum constituendum atque illum deiciendum. Quibus cum ille credulus libentissime paruisset, necnon inmensam multitudinem conducticii exercitus secum advexisset, praescripti obtimates regni, comprobantes promissa sua, occurrerunt ei cum armatorum multitudine maxima. Sic autem concluserant iter regi suo, ut non haberet diverticulum ullo in loco, donec pagani et ignominiosi, quibus concessum erat propria voluntate uti, oculorum illum lumine privaverant, quod nunquam regio nomini accidisse audierant, ne, si in regnum Teutonicum sanus effugeret, inde sibi bellum recidivum et clades bellica succresceret. Pontifices etiam terrae illius pene omnes hac sunt tempestate prostrati, necnon cum clericis monachorum nonnulli; omnes ergo perseverantes in fide trucidabantur mise-

1) Benedictus IX. 2) Cf. Bonithonem (Jaffé, Bibl. II, 626). 3) Silvestrum III. 4) Gregorio VI.

rabili crudelitate. Principum etiam unus, Zaunic nomine[1], omnibus modis cruciatus, ex hac luce migravit, quia, priorem fidem recolens, nunc fidem Petro servare voluit. Exules autem plerique sunt interfecti, quidam vero aufugerunt pedestres, nudi et spoliati. A tribus ergo pontificibus, qui residui erant, accepit ille regalem ordinationem[2], quamquam prius crudeliter grassatus fuerat in sanctae ecclesie
gregem[3]. Wilelmus Argentinensis episcopus obiit, Nov. 6.
succedit Hezilino; Ebbo Constantiensis obiit, suc- Dec.
cedit Diotricus eiusdem congregationis[4]. 24.

1047.

Nativitatem Domini rex feriavit Romae, consecrandus imperiali benedictione. Die sancto primum papa ordinatus legittime consecravit imperatorem cum imperatrice[5], archipraesulem etiam Ravenne, nec non antistitem Placentiae cum Fuldensi abbate. Finita autem sollennitate ac imperatore iter in Apuliam convertente, imperatrix gravida vicinaque partui Mantuam perrexit, ibique[6] filiam peperit. Caesar vero, pertransiens totam illam terram, pervenit ad
civitatem Beneventanam[7]. Inde domum conversus f. 83.
praedictam intrat Mantuam, celebraturus resurrec-
tionem dominicam[8]. Post pasca vero illo inde pro- Apr.
ficiscente ac in nativitate sancti Ioannis baptistae[9] 14.
Augustam intrante, Ebbo eiusdem urbis praesul moritur et imperatore praesente sepelitur. Cum autem huic Henricum subrogasset[10] ac iter suum in occidentale regnum convertisset, invenit inibi hostem

1) Zonuk in chroniko Thwrocziano pag. 131. 2) *A tribus tantum episcopis, qui in illa magna strage christianorum evaserant, coronatus est*, Thwrocz p. 132. 3) Cf. Herim. Aug. 4) Cf. Herim. Aug. 1046. 1047. 5) Cf. Herim Aug. 6) *In Ravennati territorio filiam peperit*, Herim. Aug. 7) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. 8) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. Stumpf n. 2332—2336. 9) Error. Imperator die 24. m. Maii Augustam venit. Cf. Herim. Aug. Erat dies Ioannae, unde error profectus esse videtur. 10) Cf. Herim. Aug.

paratum, ducem scilicet Gotefridum praememoratum. Hic enim recidivam rebellionem paraverat, quia iam omnimodis desperatus erat gratiam imperatoris sibi ultra posse conciliari, idcirco quod hanc sibi denegatam viderat, ante limina sancti Petri relaxatis caeteris debitoribus. Quapropter Diotricum, Paldwinum omnesque, quos socios nequitiae suae adsciscere poterat, assumpsit ac regiam domum in Niumago[1] impletam aedificiis circumstantium villarum igne combussit[2], nonnullas etiam urbium captas munitiones, antehac iure caesaris attinentes, militibus imperatoris seductis, occisis et expulsis, suorum replevit multitudine, ut nulli nostratium fas esset intrare. Sed caesar, condolens ex animo tali clade, expeditionem suam in eum multis navibus paravit cum magno labore, videlicet ut modo forent pedestres, postmodum vero equestres. Ubi tamen eheu nihil tale gessit, quale regno aut laudi aut ho-
Oct. nori fieri possit[3]. Dux Henricus Baioariorum in eo
14. itinere obiit, dum sponsam voluit accipere. Otto
Sept. etiam dux Alamannorum obiit, succedit Otto Swinvur-
7. tensis. Suidigerus papa obiit, Bamberg deducitur et
Oct. 9. Iun. sepelitur. Poppo archiepiscopus Treverensis obiit,
17. Eberhardus succedit[4].

1048.

Natale Christi imperator feriavit Pholide. Eo venerunt Romanorum nuncii[5], episcopum Brixinae[6] sibi papam petunt, qui mox eligitur, ut petivere, iuxta consensum totius senatus principum. Cum ipsis legatis episcopi quidam Romam dimittuntur, qui
Aug. 9. papam deducunt. Hic post modicum obiit, pro eo
Brun est electus[7]. Hartwico ibi[8] cancellario dat

1) Nimwegen. 2) Cf. Lambertum. 3) Cf. Herim. Aug. 4) Eadem fere refert Herim. Aug. 5) Cf. Lambertum. 6) Bopponem, qui post Damasus II. vocatus est. 7) Leo IX. Electus est mense Decembri. Quae de morte Damasi et electione Brunonis referuntur, post a scriptore addita videntur. 8) i. e. in palatio Pöhlde.

episcopatum Babinbergensem, ac proficiscens inde Ebboni abbatiam Fuldensem. Ita disposuit seriem itionis, ut pascha Radasbonnae celebraret[1]. Ebbo April.
patriarcha obiit[2]. Modicum vini. Plaga crudelis in 3. f. 83'.
hominest grassata; mures enim consumpsere fruges terrae. Terrae motus 4. Id. Octobris[3]. Autumno comes Diotmarus Saxo, maiestatis reus ac proscriptus, ab Arnoldo pridem milite suo singulari certamine victus, eisdem vulneribus occubuit[4].

1049.

Natale Christi Frisingii imperator celebravit et Gotepoldo cancellario patriarchatum Aquilegiensem tradit. Inde Radasponam it, in purificatione Deiparae Febr.
Virginis ducatum Baiariorum Chuononi concessit. 2.
Diotericus etiam iniustus, coniurationis Gotefridi et Paldwini adversus imperatorem dominum suum socius, digna Dei ultione occisus est[5]. Ratmundus Ian.
Altahensis abbas obiit, succedit Diotmarus eiusdem 19.
coenobii decurio. Caesar Merseburg pervenit, ibi pascha celebravit. Item expeditionem in occidentales Mart.
hostes, Gotefridum et Baldwinum, direxit. Cum quo 26.
etiam papa ad Aquas graneas ad palatium pergit[6]. Iul.
Vitam et sanitatem praedictis ducibus impetravit eo 11. 12.
tamen pacto, ut caesareo subderentur dominio. Qua spe adtractus, dux Gotefridus illo devenit et per manus se ille tradidit. Qui Trevirorum episcopo datur custodiendus, nullam misericordiam ab imperatore promeritus, quia pridem in electos eius caeteris crudelius fuerat grassatus. Sic imperatorem fultum divino iuvamine posteaquam contra se venire Baldwinus conspexit nec ipsum suosve incursibus suae fraudis patere, exemplo ducis iam dicti et ipse eius

1) Cf. Herim. Aug. 2) Cf. Herim. Aug. 3) *Id. Octobris* Notae Weltenburgenses (M. G. SS. XVII, 572). *Nocte* 3. *Id. Octobris* Herim. Aug. 4) Cf. Lambertum. 5) Cf. Herim. Aug. 6) Stumpf n. 2371—2374.

se subdidit dominatui[1]. His ita prospere transactis
Oct. 19. rediit, et Mogonciaci autumno ad concilium papae occurrit[2].

1050.

Natale imperator Pholide feriavit[3], ibi episcopatum Cumanum dedit .... Tum marchio Gotefridus[4], ab iniquis circumventus, innocens misere occiditur.
April. 15. Diem resurrectionis Traiecti celebrat[5]. Post haec dolens sibi a pessimis quibusdam praereptam Ungariam, quae prius tam evidente Dei iudicio cesserat
Iul. 16. ditioni suae, in Nuorenberg[6] suo fundo principes convocat Baioariae totius, quid super his ageret,
f. 84. consulturus. Complacitum est, urbem Heimemburg[7] aedificari et interim ab armatis aedificantes custodiri. Sed quia hoc Dei inspiratione consilium dederunt, postea eius auxilio in re fortiter comprobaverunt. Nam cum ipsum opus Baioaricis provincialibus solum fuisset iniunctum, admodum pauca multitudine illuc convenerunt armatorum. Hoc ut audierunt hostes, aliquod detrimentum sui inde suspicantes, ipsa nocte
Sept. 22. Thebeorum irruerunt in castra nostratium. Et cum in aliquo tabernaculo colligerentur plus quam ducentae sagittae, nulli tamen hominum est vulnus inflixum. Hunc impetum ubi eadem septimana ter quaterque sustinuerunt, tandem in unum conglobati obviam iverunt. Ecce divina clementia adfuit, quae nusquam in se sperantes deserit. Nam confestim ut conflixerunt, ipsi admodum pauci immanem exercitum vicerunt, fugaverunt et, quoscunque insequi poterant, prostraverunt. Quapropter protectorem sui Deum laudantes, ad propria regressi sunt ovantes, paucorum in urbe praesidium constituentes. Sed ne quid

1) Cf. Herim. Aug. 2) Cf. Herim. Aug. Lambertum a. 1050, Stumpf n. 2376. 2377. 3) *In Saxonia*, Herim. Aug. 4) marchio Carintanorum. Cf. supra a. 1042. 5) Idem refert Herimannus Augiensis. 6) Stumpf n. 2390. 7) Hainburg.

mala mens linqueret inexpertum, hanc Ungri destruere conati sunt, rursum tanto congregato exercitu, qui nullius posset comprehendi obtutu. Loquor ingentia, sed tamen comprobabantur fuisse maiora. Nam cum paucissimi diem dominicum cum feria secunda et tercia tanti exercitus sustinuissent impetum, nullum ex suis excepto uno cecidisse, laudabant Deum; ipsi vero tantam multitudinem hostium prostravere, unde redeuntes socii ad asportandum sex naves compleverunt. Caeleste etiam signum ibi non defuit, scilicet proeliantibus illis turtur mirae pulchritudinis muros circumvolitavit. Ignem vero ad incendendum qualibet parte orientis et occidentis, meridiei vel aquilonis admovebant: hunc ventus occurrens deflectebat. Ex quo posteaquam hostes cognoverunt reatum suum, discesserunt confusi[1].
Tum accusatur Kazemer dux Bolaniorum, quod vi f. 84'.
sibi usurparit provinciam[2], datam ab imperatore
Boiemorum duci. In villa regia Gosolarae ad im- Nov.
peratorem venit[3] et obiectum iureiurando excusavit; 24.
in quibus culpabilis fuit, hoc iuxta placitum imperatoris correxit, accepta gratia domum rediit[4]. Autumno imperatrix[5] Deo gratias filium peperit.

1051.

Natale Christi caesar augustus Pholide celebrat[6],
paschalia Agrippinae feriat, ibique filium baptizari Mart.
curavit[7]. Ad Ungros expeditio facta incommoda ac 31.
satis laboriosa. Totum namque aestivum tempus, pluviis abundans, inmanes fecit prorumpere aquas. Qua de re plures tam hominum quam equorum summersi sunt. Imperator vero ita disposuit iter suum, ut navigio descendens per Danubium ad-

1) Haec paucis verbis ab Herimanno Augiensi narrantur. 2) Silesiam. 3) Stumpf n. 2393. 2394. 4) Cf. Herim. Aug. 5) *Imperatrix tandem imperatori filium peperit,* Herim. Aug. 6) *In Saxonia apud Goslare,* Herim. Aug. 7) Cf. Herim. Aug.

Aug. sumptionem Deiparae Virginis celebraret Bathavo-
15. rum urbe[1]. Illic Gotefrido duci praememorato beneficium suum, quod habuit abepiscopo Coloniensi, reddi iussit et eum contra Baldwinum iuniorem nuper rebellantem provinciae esse defensorem rogavit. Ipse vero cum valida manu Baioariorum, Longobardorum, Saxonum, Suevorum, Francorum, Sclavorum ad Ungariam usque pervenisset et iter illo ingrediendi interclusum fuisset, habito consilio longam circuitionem peregit[2] et absque navibus et plaustris solo equestri itinere regionem intravit. Nec mora, ad quaecunque loca accessit, igne ferro exceptis ecclesiis vastavit. Sed cum hostis palam luce occurrere non auderet et exercitus diuturnitate temporis fame laboraret, domum sese recepit, sequenti
Iun. anno reversurus. Pardo Mogontinus archiepiscopus
11. obiit, Liutpoldus Babenbergensis praepositus suc-
Febr. cedit[3]. Hunfrid archiepiscopus Parthenopolitanus
28. obiit, Engilhart succedit. Hunfrid Ravennas episco-
Iun. pus obiit, Heinrihc succedit. Dietricus Constantinus
22. episcopus obiit, succedit Rumolt[4].

1052.

April. Natale imperator feriavit Goslarae, pascha Ne-
19. midone. Rursus ad Ungros expeditio, sed nihil ho-
f. 85. noris vel utilitatis adquisitum regno. Cum enim
Aug. urbem Preslawaspurch[5], in finibus utriusque regni sitam, diutina premerent obsidione, papae adiuratione constricti inde discessere. Quod factum est callida machinatione regis Ungrorum, qui promiserat, quaecunque papa iussisset, se facturum, si per eius obtentum imperator cessaret ab oppugnatione suorum.

1) Cf. Stumpf n. 2411. 2) *longo propter fluviorum illuvionem circuitu per Carentani fines transiens.* Sic Herimannus Augiensis, qui multo accuratius de hac expeditione agit. 3) *Pro quo imperator Liutpaldum, Babinbergensem praepositum, constituit,* Herim. Aug. 4) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. 5) Pressburg.

Cum vero Danubium transfretasset exercitus, cuncta, quae spoponderat, est mentitus. Sed cum etiam exercitui stipendia defecissent, in sua redierunt singuli cum exercitu, reversuri anno subsequenti[1]. Radasponam autem veniens papa cum imperatore Oct. 7. exaltationem sanctarum reliquiarum, ut decuit, celebravit, hoc est Wolfgangi et Erhardi episcoporum urbis praedictae[2]. Quo tempore imperatrix filium secundum genuit, Chunradum nomine[3]. Non modica penuria frugum, vini modicum et acerrimum. Nizo episcopus Frisingensis obiit, succedit Ellinhard[4]. Bonifacius marchio de Italia insidiis cuiusdam militis sui occiditur[5].

1053.

Natale apud Wangiones imperator celebravit. Chuono dux Baioaricus et praesul Radasponensis Gebehardus ea tempestate gravissimas inter se inimicicias contraxere[6], sed cum imperator Mersiburch pascha celebraret, illuc evocavit utrumque ad con- April. 11. loquium generale pariterque complures regni totius principum, quorum iudicio dux praememoratus ducatu est depositus[7]. Prolata enim sunt iniusta iudicia, quae pridem in populo fecerat et quoniam urbem quandam episcopi, Paracstein[8] dictam, incendio concremaverat. Quod quidem iudicatur pergrave, si quis in regno tale quid audet committere. Sed cum inde discessisset domum, intestina molitus est commovere bella. Quapropter brevi plures iniquitatis suae socios adquisivit eosque sibi firmos et fideles esse iuramento constrinxit. His ad velle dispositis, ipse

1) Cf. Herim. Aug. et Vitam Leonis IX. auctore Wiberto L. II. c. 8. 2) Cf. chronicon Ekkehardi, notas S. Emmerammi, auctarium Ekkehardi (M. G. SS. XVII, 572. 364). 3) Cf. Herimannum Aug. 4) Cf. Herim. Aug. 5) *Bonifacius, ditissimus Italiae marchio, immo tyrannus, insidiis a duobus exceptus militibus sagittisque vulneratus et mortuus, Mantuae sepelitur,* Herim. Aug. 6) Cf. Herim. Aug. 1052. 7) Cf. Herim. Aug. 8) Parkstein in Palatinatu superiore.

cum manu valida per Carinthanos ad Ungros confugit
f. 85'. et plures coniurationis eiusdem conscios domi reliquit, quos sibi postmodum bella moventi auxilio fore speravit. Hi ergo deprensi facile ab hac stultitia sunt repressi. Ipse vero adiunctis sibi Ungris Charionas invadit[1] et, plurima loca vastans, urbem quandam, Hengistiburg dictam[2], occupavit ibique praesidio imposito in Ungariam se recepit. Quo tempore papa adversum Nordmannos pugnavit, in quo proelio eheu fere omnes amisit, quicunque ex regno Teutonico venerant in auxilium eius. Ipse etiam in Beneventana urbe invitus, ut fertur, aliquamdiu est retentus[3]. Vini, frugum maxima penuria[4] in tota pene grassatur Baioaria. Quapropter colono fugiente plurimi vici deserti remansere. Sybicho Nemidonensis episcopus obiit, Arnoldus substituitur[5]. Hartwicus
Nov. 6. episcopus Babinbergensis obiit[6].

1054.

Apud Otingun imperator natale Christi, curtem regiam, celebrat, ibique maiori filio suo ducatum Baioaricum contradidit, Adalberoni consobrino suo tradit episcopatum Pabinpergensem[7]. Inde Radisponam ad generale colloquium recessit[8]. Quibus diebus hi, qui in urbe Hengistiburc praesidio relicti erant a Chuonone, fatigati crebra provincialium incursione,

1) Cf. Herim. Aug. 2) Hengstburg, castellum quondam munitissimum, in Styria haud procul a S. Florian situm. 3) *Ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus,* Herim. Aug. 4) *Frugum penuria facta est non modica,* Herim. Aug. 5) Sibicho obiit anno 1054. Cf. necrologium Fuldense (Böhmer, Fontes III, 161), annales Weissemburgenses, Lambertum. 6) Cf. Herim. Aug. Lambertus mortem Hartwici perperam anno 1054 adscribit. 7) *Natalem Domini in villa Otinga egit, ibique Babinbergensis aecclesiae praesulatum consobrino suo Adalberoni donavit,* Herimannus Augiensis sub hoc anno, postquam de rebus anni praecedentis ultimo loco haec adnotavit: *Imperator vero, in Baioariam veniens, ducatum eiusdem provinciae filio suo aequivoco tradidit.* 8) Cf. Herim. Aug.

ipsi sua sponte urbem diripiunt et clam inde in Ungariam aufugiunt. Paschalia Mersiburch[1] imperator Apr. 3.
feriavit. Leo obiit, vir sanctus; infirmi sanati ad April. 16.
eius sepulcrum[2]. Pentecoste Quitilingunburch im- Mai. 22.
perator celebravit, quo ad se ducem Boiemicum ac Bolanicum evocat eosque post longissimam disceptationem inter se pacatos domum remittit[3]. Ipse vero expeditionem suam contra Baldwinum direxit. Im- Aug.
provisus ergo ingreditur provinciam, maximam frugum pecorumque inveniens abundantiam. Sed cum hostes non auderent palam occurrere, ipse plurima loca devastans ferro et igne disposuit repatriare. Cum vero inimici cognovissent, remissius militem agere, unam exercitus partem subito incursantes, non minimam stragem dedere solitoque sibi fuga consuluere. Quos imperator secutus, tendentes repperit, tantaque clade multavit, ut dux ipse cum admodum paucis vix evaserit[4]. Ungri iterum Chario- f. 86.
nas invadunt, factaque praeda in patriam laeti recedunt; Chuonone cum suis ducente, orientalem saepius Baioariae oram invasere, plurima loca diripuere, hominum inmensam multitudinem captivam abduxere. Tandem provincialibus ad arma convolantibus, aliquot ex his et illis caesi, plures sunt vulnerati. Ungri tamen praedam, quam praemiserant, retinuerunt, sed post haec ipsam provinciam incursare cessaverunt. Quo tempore etiam Gotefridus novus hostis extitit. Ingressus enim Italiam viduam Bonifacii marchionis Beatricem uxorem ducit[5], quam tamen post brevi reliquit, expulsus inde communi conspiratione plaebis, ac se Baldwini rursus inmiscuit armis[6]. Hoc anno obiit Azilinus Hyldenesheimensis Mart. 8.

1) *Mogontiae*, Herim. Augiensis, cuius auctoritas pluris facienda est. Cf. Stumpf n. 2454. 2) Cf. Herim. Aug. 3) Cf. Cosmae Prag. chronicam II. c 13 (M. G. SS. IX, 75). 4) Cf. Gesta epp. Camerac. Cont. c. 10—14. 5) *Beatricem, Bonifacii quondam marchionis viduam, uxorem accepit*, Herim. Aug. 6) Cf. Lambertum 1055.

episcopus, succedit Hezil[1]. Ulricus episcopus Brexionae obiit.

1055.[d]

Dominicum natale imperator celebravit in villa
Ian. 10. regali Goslare[2]. Ipsis diebus mortuus est Bratizla dux Boemicus[3]. Post haec imperator Ratisbonam
Mart. venit[4], ibique generale colloquium habuit. Ibi ergo Gebehardum episcopum Eichstattensem apostolicae sedi praefecit, quem et mox ante se in Italiam transmisit[5]. Zpitigneum etiam, maiorem filium Boemici ducis, in locum substituit patris, sicque dispositis aliis, quae voluit, in Italiam transivit. Resurrectio-
April. 16. nem ergo Domini apud Mantuam sabbatizavit[6]. Ekkihardum in sedem Brexionae urbis constituit. Gene-
Iun. 4. ralem sinodum papa sibi occurrente habuit[7], ubi complures episcopatu deponi fecit[8]. Quosdam de militibus Bonifacii rebellantes, filio etiam eius defuncto, facile oppressit, ipsamque Beatricem in custodiis servari praecepit[9]. Quo tempore Richerius abbas Cassinensis, qui et Leonensem abbatiam regebat, unam, id est Leonensem, sponte remisit, quam mox ex petitione ipsius Richerii apud Florentiam tradidit imperator Wenzlao monacho Altahensi, viro admo-
f. 86'. dum modesto et sapienti. Ea tempestate obiit Alta-
Sept. 3. hensis abbas Dietmarus, vir omnigena pietate probatus, pro quo communi fratrum consensu eligitur Adalhardus, eiusdem congregationis monachus, bonis quibusque merito aequiparandus. Et quoniam pridem obierat Waltheri Veronensis episcopus, imperator ibidem constitutus[10] Diotpoldum substituit in

1) Cf. annales Hildesheimenses et Lambertum. 2) Cf. Bertholdum et Lambertum. 3) Cf. Cosmae Prag. chronicam II. c. 13. 4) Stumpf n. 2464. 2465. 5) Vide anonymum Haserensem c. 38 (M. G. SS. VII, 265). 6) Stumpf n. 2470. Cf. Bertholdum. 7) Florentiae. Cf. Bertholdum a. 1055 et Bonithonem p. 637. 8) *Multi episcoporum per symoniacam heresin depositi sunt et quam plures per fornicationis crimen,* Bonitho l. l. 9) Cf. Bonithonem l. l. 10) Stumpf n. 2484.

locum eius. Quod vero Deo amabilem principem divina providentia defendat semper et muniat, hinc, qui velit, colligat. Dum ergo in Italia commoratur, quidam de regni principibus, qui etiam familiariores illi videbantur, hoc est Gebehardus patruus eius Ratisbonensis episcopus, Welf Charintanorum dux aliique complures clandestina cum his consilia concinnant, qui pridem publici hostes extiterant. Igitur Deo dignum augustum vita simul et regno privare, Chuononem, qui ad Ungaros confugerat, in locum eius subrogare conantur, et quoniam in hac coniuratione erant, ut praedixi, imperatoris amicissimi, potuit miserabile facinus perpetrari, scilicet nisi hoc Deus ut casses comminuisset aranearum, quoniam non est consilium neque fortitudo contra Deum. Primum igitur Chuono, quem principem elegerant, miserabili excruciatus peste, fraudem et nequitiam terminavit morte. Mox etiam Welf, infirmitate correptus et in extremis iam poenitentia ductus, peccasse se publice fatebatur et, ut indulgentiam apud augustum mereret, supplex precabatur. Cui etiam curtem suam, Utingun dictam[1], delegari fecit, socios coniurationis aperuit et mox ultimum diem clausit. Et quoniam imperator de Italia iam fuerat reversus, ad commeatum evocatus episcopus. Cum ergo primum infitiaretur, postremo manifestis signis est victus, custodiae mancipatur[2]. Hermannus archiepiscopus Agrippine obiit[3], successit Anno. Arnoldus Nemidonensis obiit, cui Chuonradt successit[4], Azilinus de Mersiburch, pro quo Wofpho substitui-

Nov. 11.

Febr. 11.

Oct. 25.

1) Utting ad lacum, qui Ammersee vocatur. Hanc curtem Welf ex hereditate Adalberonis, ultimi ex comitibus Ebersbergensibus, acceperat. Cf. anonymum Weingartensem apud Hess Mon. Guelf. p. 11. 2) Cf. chronicon Wirzeburgense et Ekkehardum. 3) Mortem Herimanni ad annum 1056. referunt Lambertus, Bertholdus, Marianus; auctor Vitae Annonis (M. G. SS. XI, 469) cum nostris annalibus et chronico Wirzeburgensi de anno 1055 consentit. 4) Cf. necrologium Fuldense (Böhmer Fontes III, 161), chronicon Wirzeburgense 1055, Lambertum 1056.

f. 87. tur[1]. Udalricus etiam Tridentinae urbis praesul mo-
Febr. 25. ritur, quem Hatto in episcopatu subsequitur[2].

1056.

Dominicam nativitatem imperator ad Duras
Apr. 7. aquas[3] celebravit, pascalem agnum in Bodirbrun-
Mai. 26. nun victimavit[4], sacrum pentecoste . . . peregit, et
mox regi Charalingorum ad colloquendum in finibus
Iun. utriusque regni occurrit[5]. Ibi rex cepit negare quod-
dam pactum, quod inter ipsum et imperatorem pri-
dem fuerat factum. Sed cum imperator paratus
esset, acie potius dimicare, quam veritatem semel
susceptam omittere, ad ultimum etiam proposuit
examen monomachiae per se ipsum et illum pugnan-
dae. Quibus rebus ut rex se iam victum intellexit,
Iul. 2. cum suis omnibus noctu clam auffugit[6]. Imperator
vero Wangionem rediit[7], quo etiam papa Italia nuper
digressus occurrit[8], ubi de statu regni plurima dispo-
nit, Gebehardo episcopo ante iam custodia relaxato
gratiam suam reddit, Chuononem nepotem suum
poenitentem pro rebellione suscepit, et sic singulos
domum redire permisit[9]. Hac ipsa tempestate prin-
Sept. 11. cipes Saxonici contra Luidilizos pugnarunt, sed heu
turpiter victi inde fugerunt, magno inibi suscepto
suorum detrimento, interfecto etiam marchione Willi-
helmo[10]. Annus iste extitit detestabilis et luctum
inconsolabilem intulit multis. Cum enim Romanum
imperium vigeret tranquilla pace, offensus peccatis
nostris Deus se dignum imperatorem gravi percussit

1) Uterque in Bawaria natus erat. Cf. chronicon epp. Merseburgensium (M. G. SS. X, 181. 182). De Woffone canonico Eichstetensi vide Gundechari Librum pontificalem (M. G. SS. VII, 249). 2) Cf. necrologium Fuldense l. l. 3) *Apud castrum Turegum* Bertholdus. 4) Cf. Lambertum. 5) Ad villam Ivois. Cf. Lambertum. 6) Cf. de his rebus Lambertum. 7) Stumpf n. 2500–2503. 8) Auctor erravit; papa enim mense demum Septembri Goslariae imperatori obviam venit. Cf. anonymum Haserensem (M. G. SS. VII, 265) et Lambertum. 9) Vide chronicon Wirzeburgense. 10) Cf. Lambertum.

morbo. Cui cum vitae adventaret exitus, papa cum
multis aliis universi ordinis praesentibus, publice
confessionem peccatorum facit[1], filium suum Hen-
ricum, haeredem regni relinquens, omnibus com-
mendavit et sic, sacro corporis et sanguinis Domini
viatico confirmatus, hominem exuit et stola inmor- Oct. 5.
talitatis indutus aulam regni caelestis, ut vere cre-
dimus, intravit[2]. Cuius corpus, Nemidonum trans-
latum condigno honore, festo Symonis et Iudae, Oct.
quemadmodum vivens praeceperat, est tumulatum[3]. 28.
Rex vero Henricus per dominum papam ad Aquas- f. 87'.
grani deducitur et in sede regali collocatur. Post
haec Coloniam venit, ubi Baldwinum comitem, qui Dec.
diu patri suo rebellaverat, in deditionem suscepit et 5. 6.
sibi post haec firmum et fidelem fore iurare facit[4].

1057.

Dominicam nativitatem rex Henricus adhuc puer
parvulus Ratisbone celebravit, colloquium generale
cum regni primatibus habuit[5]. Chuononi cuidam
cognato suo[6] ducatum, quem Welf habuerat[7], tra-
didit. Quoniam vero imperatrix mater eius fatebatur,
se gravidam fore, ideo ducatum Baioaricum permisit
eam retinere, ut si filius ex ipsa nasceretur, ipse
eodem principatu potiretur. His igitur ita dispositis,
post pauca Saxoniam secessit. Dominus etiam papa
mox in Italiam rediit. Insequente quadragesima Adal- Febr.
bero episcopus Pabenpergensis hac exutus est vita, 14.
quam sedem rex in festivitate pascali apud Wan- Mart.
gionum[8] tradidit venerabili Guntherio, eiusdem con- 30.
gregationis canonico, sed tunc temporis cancellario

1) Vide anonymum Haserensem p. 266. 2) *Ad interminabilia coelestis regni gaudia, ut vere credimus, est translatus*, Anon. Haser. l. l. 3) Cf. anonymum Haserensem et Lambertum. 4) Stumpf n. 2528. 2529. Cf. Sigebertum Gemblacensem. 5) Cf. Bertholdum et Lambertum. 6) fratri Heinrici, palatini comitis in regno Lotharii. Cf. Lambertum. 7) ducatum Carintanorum. 8) Stumpf Reichskanzler n. 2534—2539.

Italico, qui mox, ut potestatem suscepit, statim etiam
ipso die sancti pascae benedictionem cum magna
Iul. 28. gloria accipere promeruit. Ipsa aestate papa Victor
moritur, et in eius locum frater Gotefridi ducis Fride-
Aug. 2. ricus, cognomine Stephanus, a Romanis subrogatus,
rege ignorante, postea tamen electionem eius com-
probante. Episcopatum autem Eichstatensem, quem
dominus papa habuit, rex Gunzoni capellano suo
tradidit.

1058.

Dominicum natale rex Goslare[1] celebravit, agnum
April. 19. vero pascalem Mersiburg[2]. His diebus in Bodur-
brunnun maior ecclesia cum aliis duobus monasteriis
April. 10. est igne consumpta[3]. Sacrum autem pentecoste apud
Iun. 7. Augustam rex peregit, ubi et generale colloquium
Mart. 29. tocius regni principum habuit[4]. Defuncto igitur papa
Stephano piae memoriae, alius substitutus est[5] et
consecratus occulte. Quod cum principibus non pla-
ceret, deposito illo Augustam ad regem misere le-
f. 88. gatum[6], petentes, apostolicae sedi praeferri episco-
pum Florentinum[7]. Qua eorum petitione approbata
aliisque regni negotiis ordinatis, singuli regressi sunt
ad propria. His diebus legati Ungrorum sepissime
veniebant pacemque fieri postulabant, et, ut haec
verior firmiorque haberetur in posterum, regis so-
rorem[8] filio domini sui, nomine Salomoni, dari po-
stulabant in coniugium. Hoc ubi tandem regni pri-
Sept. 20. matibus complacuit, rex cum matre in fines Ungarie
venit[9], utriusque regni primores iureiurando pacem

1) *Mersinburg* Lambertus. Auctoritas monachi Altahensis pluris facienda videtur, nam regem die 27. mensis Decembris in palatio Pöhlde moratum esse constat. Cf. Gundechari Librum pontificalem (M. G. SS. VII, 246). 2) *Magadaburh* Annalist. Saxo. 3) Cf. Marianum Scottum. 4) Stumpf n. 2554—2557. Cf. annales Augustanos. 5) Benedictus X. Cf. Bertholdum et Lambertum. 6) Male Lambertus hanc legationem anno 1059. missam esse refert. 7) Gebehardum, qui post Nicolaus II. appellatus est. 8) Iudith. 9) Stumpf n. 2559.

firmare fecit, sororem tradidit et mox se in Franciam recepit. Autumnali igitur tempore dux Charintanorum Chuono Longobardiam valida manu est ingressus, sed resistentibus sibi provincialibus turpiter est regressus. Ebbo abbas Fuldensis est defunctus, in Nov.
cuius locum eligitur Sigifridus, eiusdem congrega- 17.
tionis monachus[1].

1059.

Nativitatem Domini apud Argentinam rex feriavit. Hoc anno frumenti et vini satis abundans copia in Baioaria fuit, sed gravis pestilentia hominum animaliumque per totam provinciam grassabatur[2]. Abbas Sept.
Herfeldensis Meginherę obiit. Episcopus etiam de 26. Oct.
Halberstatt, Purchardus nomine, et archiepiscopus 17.
Magontiacensis Liutpoldus viam ingressi sunt carnis Dec. 7.
universae[3].

1060.

Incarnationem Domini rex Frisingun egit[4], episcopatum Halberstattensem Purchardo dedit. Sacrum epiphania Ottingun celebravit, ac Sigifrido ab- Ian. 6.
bati Fuldensi archipraesulatum Magontiae tradidit[5]. Regressus autem in Franciam, Fuldensem abbatem statuit Wittradum, eiusdem congregationis monachum[6]. Hiems tam acerba per Teutonicum regnum habebatur, ut immensitate ac diuturnitate nivis ac frigoris multi mortales hac luce privarentur. Mox secuta est aquarum talis effusio, qualis vix aut nunquam fertur in illo regno provenisse[7]. Rex autem f. 88'.
in Halberstatt peregit sanctum pasca[8], et mox eo Mart. 26.
recedente ecclesia ipsa cum aliis aedificiis est igne April.
consumpta. Hac aestate Chuonradus episcopus Ne- 18.

1) Cf. Lambertum. 2) Cf. Bertholdum. 3) Cf. Lambertum. 4) *Wormaciae* Lambertus, cuius error manifestus est. 5) Cf. Marianum Scottum. 6) Cf. Lambertum 1059. 7) Vide Bertholdum et annales Augustanos. 8) Cf. chronicon Halberstadense ed. Schatz p. 34.

April. 8. midonensis obiit, cui Einhart successit[1]. Piae memoriae Baldwinus Iuvavensis archipraesul est defunctus, pro quo eligitur Gebehardus cancellarius[2]. Hoc igitur anno obiit papa Nicolaus[3], pro quo episcopus Luccensis[4] a quibusdam Romanorum in sede apostolica est constitutus, qui statim consecratus Alexander nomen accepit, quamvis communi eorum voluntate electus non fuerit, ut insequentibus apparebit. Episcopus autem Parmensis, Kadalo nomine, audita unius morte, alterius autem electionem simulans se nescire, sumpta secum, ut ferebatur, pecunia inmensa, curtem adiit, regem Augustae repperit, ibique cum matre regis et episcopo Augustensi[5], qui adhuc palatio praesidebat, res suas agere non quievit, donec se ad sedem apostolicam a rege conlaudari et, ut mos est, infula pontificali investiri impetravit[6]. Qui mox in Italiam regrediens et illum iam consecratum apostolicae sedi publice praesidentem reperiens, illo quidem anno in episcopatu suo quievit, postea vero heresim magnam et bellum periculosum, quod in suo loco dicetur, Romanae ecclesiae invexit. Quoniam autem, ut iam diximus, Alexander communi Romanorum voto electus non fuerat, quidam eorum, furto surripientes, crucem auream, quae ante papam portari solebat, et alia quaedam pontificalia ornamenta ad istum detulerunt. Quibus ille mox indutus publice procedebat, et honorem apostolicum sibi ab omnibus exhiberi exigebat, quosdam etiam potentiores data pecunia ad hoc inliciebat. Inicia dolorum haec. Rex enim puer erat, mater vero utpote femina his et illis consiliantibus

1) Cf. Lambertum. 2) Cf. annales S. Rudberti Salisb. 3) Constat, mense demum Iulio anni 1061. Nicolaum II. mortuum esse. Quam ob rem omnia, quae hic de schismate narrantur, ad annum sequentem referenda sunt. Cf. commentationem meam, quam inscripsi: Die Kirchenspaltung nach dem Tode Nicolaus II. et fragmentis annalium Altahensium adiunxi. 4) Anselmus. 5) Heinrico. 6) Basileae, non Augustae, Kadalus insignia pontificis maximi accepit.

facile cedebat, reliqui vero palatii praesidentes omnes avariciae inhiabant, et sine pecunia ibi de causis suis nemo iusticiam inveniebat, et ideo fas nefasque confusum erat.

Hoc etiam anno pax est rupta, quae dudum cum Ungris est facta. Refertur supra[1], qualiter regis soror filio regis Ungrorum fuerat nuptum data: cui conventioni regis frater, Bel nomine, cum filio non intererat, ideoque nostratibus semper suspecti erant. Ob hanc igitur causam in Ungariam mittuntur ex latere regis episcopus Eppo de civitate Citiza[2], marchio Saxonicus, marchio Baioaricus et alii quam plurimi. Igitur post paucos dies adventus eorum in f. 89.
Ungariam rex Andreas, iam aperte cognoscens coniurationem fratris adversus se factam, adsumens reginam, filium nurumque, conlectaque non parva multitudine principum gentis suae, simul cum nostratibus in Baioariam voluit exire, credens se in terra aliena tutiorem fore. Quem frater cum magno exercitu insequitur, subitoque in ipsis faucibus viarum, quas portam regni vocant, a tergo adgreditur, statimque nostris in arma ruentibus ingens pugna exoritur, summaque vi utrimque bellatur[3]. Sed Ungri, qui cum rege erant, fugiendo tantum sibi consulebant, nostri autem, qui adversus tantam multitudinem pauci erant, angustia et difficultate locorum constricti, simul etiam innumera multitudine oppressi, amissis suorum plurimis, ad ultimum et ipsi cedere sunt coacti, ibique rex vivus capitur[4], sed eodem momento, equis et curribus conculcatus, moritur. Regina tamen cum filio et nuru gentisque suae principibus in Baioariam simul cum nostris egreditur. Capti sunt etiam ex nostris episcopus Eppo, Willihalm Saxonicus marchio, comes Poto aliique quam

1) sub anno 1058. 2) Zeitz. 3) *Commisso praelio ab utraque parte fortiter est pugnatum,* Thwrocz p. 137. 4) *Captus est ad portas Musum,* Thwrocz.

plurimi. Inter multos autem, qui ibi fortiter pugnavere, virtus duorum tamen emicuit maxime, scilicet Willihalmi marchionis et Potonis comitis[1]. Hii enim, dum nostri caederentur, in quodam eminentiori loco substitere, tantamque stragem fecere, ut ea, quae pridem de fortissimis quibusque admiratu digna habebantur, modo in comparatione istorum parva videantur. A vespera enim usque ad ortum solis pugnantes, nequaquam a tot militibus capi potuere, donec accepta fide publica semetipsos dedere[2].
Dec. 2. Gebehardus episcopus Ratisbonensis obiit, succedit Oto canonicus Babenbergensis[3].

1061.

Natale caesar Mogontiaci celebravit, mox post
Ian. 6. sanctam theophaniam Radisponam cum matre venit[4]. Illuc ergo occurrit vidua regis Ungarici cum filio nuruque, quam tamen statim remisit rex in orientalem marcham Baiariae, illic quidem praecipiens ei de suo servire, filium autem eius sororemque
Mart. propriam abduxit secum in Franciam[5], donec pertractasset sapienti consilio principum suorum, qua-
f. 89'. liter ipsis recuperaret, quod amiserant, regnum. Bel autem, qui caput et causa horum erat malorum, nimium gaudebat sperans, se a rege pacisci, quae vellet, per eos, quos cęperat. Quod cum videret ad votum suum non provenire, quia Teutonici reges non solent minis cuiuspiam terreri vel cedere, episcopum ultro a captivitate relaxat, alios autem adhuc secum retinuit. Sed cum generositatem eorum iam didicisset vere, ipse marchionem cepit invitare, filiam suam in coniugium accipere. Quod cum ille promi-

1) De Potone, qui erat ex comitibus palatinis Bavariae, vide Ekkehardum sub anno 1104. 2) Cf. Bertholdum et chronicon Posoniense 1060. Lambertus, qui fusius de his rebus agit, eas sub a. 1061. male refert. 3) Cf. Lambertum. 4) Cf. Stumpf n. 2591. 2592. 5) Stumpf n. 2593.

sisset se facturum, dimissus ad patriam rediit moxque diem extremum clausit[1]. Sicque anno sequenti etiam reliqui omnes a captivitate sunt relaxati.

His etiam diebus Roma intestino bello laborabat, quoniam, ut iam diximus, quidam illorum ob gratiam episcopi Parmensis Alexandro non communicabant et cum hoc[2] quasi fidem regi servabant, quoniam ab ipso laudatum audierant. Ob hanc igitur causam legati Romanorum Augustam venere, cum rex ibi adsumptionem Deiparae Virginis ageret et Aug. 15.
generale conloquium haberet. Ex his vero idem episcopus unus erat, qui Alexandrum consecraverat. Is ergo accepto dicendi loco tali perorabat modo: *Succurrite, potentissimi principes, ecclesiarum matri, succurrite apostolicae sedi. Ecce enim, cum omnes per vos in pace agant, sola Romana ecclesia bellis intestinis quassatur per Alexandrum, qui se papam nominat, quod tamen non est nec unquam erit, siquidem de eo iuste iudicatum fuerit. Non enim ex consensu regis, utpote patricii nostri, ut pastor in ovile intravit, sed data pecunia Nordmannis, inimicis videlicet vestris, ut fur et latro aliunde ascendit. Ecce adsum ego ipse, qui eum consecravi, sed Deum testor, quia vim patiens et coactus hoc feci. Quapropter, iustissimi iudices, quaeso, huic pesti, dum tempus est, obviate, ne capite morbide putrescente etiam reliqua membra citius incipiant languescere.* His ergo in curia auditis, diu multumque est disceptatum, quidnam super hoc esset agendum, quia episcopis nec iustum nec facile videbatur, discipulos iudicare magistrum. Tandem ergo, facta deliberatione, mittitur episcopus Halberstatensis cum regis et quorundam pontificum litteris, qui utrarumque partium allegationes audiret et vice caesaris et principum iuste exinde iudicaret. Is ergo Romam veniens et singula, prout gesta erant, f. 90.
perdiscens, quibusdam comprobantibus, quibusdam

1) Cf. Lambertum 1061. 1062. 2) Parmensi episcopo.

etiam adhuc contradicentibus, etiam ipse Alexandri electionem ratam esse firmavit, sicque ad propria remeavit[1]. Hoc tempore mater caesaris ducatum Boiariae, quem dudum retinuerat, sua sponte remisit, eumque Otoni, viro prudenti, commendari curavit[2]. Adalman Brixiae episcopus obiit, Ulricus succedit.

1062.

Mart. 31. Natale Christi caesar Goslarae, pascha Nemidone[3] celebrat. Rex igitur iam adolescere incipiebat, palatio autem praesidentes sibimet ipsis tantum consulebant, nec regem quisquam, quod bonum iustumque esset, edocebat, ideoque in regno multa inordinate fiebant. Quapropter Anno archiepiscopus Coloniensis, duces et optimates regni crebra conventicula faciebant, quid de hoc agendum foret anxie nimis ad invicem conquirebant. Tandem ergo firmato consilio, cum rex esset iuxta Rhenum in loco, qui Werida dicitur[4], cum grandi multitudine ex improviso curtem adeunt, crucem et regiam lanceam ex capella auferunt, regem ipsum navi imponunt nulloque obsistente ad Coloniam[5] usque deducunt. Mater ergo regis tristis discessit inde, sed cum recordaretur, quam grave est regni negocia tractare, faciens ex necessitate virtutem, sacrum sibi velamen postulavit imponi. Ergo praedia, quae sibi in dotem data erant, solummodo retinuit, caetera regni gubernacula ex integro cuncta dimisit, seque totam ad Dei servicium contulit. Namque vigiliarum et orationum eius instantiam, eleemosynarum frequentiam, cibi potusque parcitatem, vestium cultusque vilitatem et caetera humilitatis ac pietatis eius opera quicunque

1) Haec erroribus scatent. Burchardus, episcopus Halberstadensis, anno 1062. Romam missus est post synodum Augustanam, quae mense Octobri a. 1062, non Augusto a. 1061. habita erat. 2) Cf. Lambertum. 3) *Apud Traiectum* Bertholdus. 4) Kaiserswerth. 5) Stumpf n. 2607. Cf. Lambertum.

vidit, libere protestari potuit, quod haec inmutatio dexterae excelsi fuerit. Et quoniam episcopus tunc palatio praesidens iusticiae studebat, etiam res publica florescere incipiebat.

Hac ergo tempestate[1] episcopus Parmensis, de quo supra sermo fuit, sedem apostolicam, quam canonice non potuit, armis obtinere contendit. Ad f. 90'.
quam spem illum hoc induxerat, quod a rege laudatus erat. Insuper et quidam Romanorum illi favebant. Quapropter, conlecta non parva manu Longobardorum, Romam ire perrexit, veniensque ultra Sutriam, quam nostri Sudrun dicunt, in loco, qui Campus crassus dicitur, tentoria fixit[2], statuens ibi Mart.
aliquot dies repausare exercitum, simulque sperans, 25.
solo suo adventu territis Romanis aut sponte discedere Alexandrum, aut se magna auxilia ex Urbe habiturum. Insuper et hoc illum animabat, quod fautores sui intra Urbem turrim Crescentii[3] tenebant, insuper et aliam firmissimam turrim, quae est in ripa Tiberis iuxta pontem Olvii[4]. Alexander autem fautoresque sui iam dudum adventum istorum praescierant, ideoque et ipsi armis se defendere parabant. Quo cognito, episcopus Parmensis statim elevatis militaribus signis castra movit, sicque instructa acie Romam tendit. Econtra igitur fautores Alexandri, et ipsi armis instructi, processere, quibus etiam multi ex plaebe se miscuerunt cum propter animi mobilitatem, tum etiam propter iram et indignationem, quoniam ipsis videbatur grande dedecus fore, quod quisquam hostiliter armata manu praesumeret Romam propius accedere. Nec mora, statim primo Apr.
congressu victi, Romani terga vertunt, sicque versus 14.
Urbem fugientes, multi caesi et vulnerati cęcidere.

1) Haec recte se habent. Mense Martio anni 1062. Kadalus primum Romam cum exercitu aggressus est. 2) Cf. Benzonem II. c. 9. 3) Castro S. Angelo. 4) *Milvii credo* adscripsit Aventinus in margine codicis. *Ad pontem Holbii* Benzo II. c. 13 (M. G. SS. XI, 617).

Quidam vero, ad Tyberim festinantes, navem intravere, sed istis subsequentibus et uno tantum lanceam iaculante, cum unusquisque timeret sibi, in unam partem ratis constipantur cuncti, et nave reversata pene omnes suffocati sunt in aqua[1]. His militiae gestis episcopus Parmensis cum suis iam clari habebantur, et timor eorum per universam Romam cottidie augebatur. Attamen, priusquam
f. 91. urbem intrarent, supervenit huic perturbationi dux Gottefridus[2], qui dudum post mortem imperatoris in Italiam fuerat reversus et, connubio iunctus viduae Bonifacii, maximus habebatur in illis partibus regni. Hic ergo nunc minis nunc consilio cum ambobus non cessavit agere, donec utrumque persuasit ad sedem pontificatus sui redire, praecipiens, amborum legatos secum ad regem ire, ut is postmodum sedem apostolicam sine controversia teneret, quem rex et regni principes iudicarent. Huic diffinitioni ambo facile consentiebant, quoniam uterque de sua causa praesumebat. Sed cum hi legati ad curtem regiam venissent et causa haec in curia agitari coepta fuisset, omnibus placuit, ut is, qui consecratus foret, rursus ad apostolicam sedem reverteretur, donec canonico et sinodali iudicio auditus aut eidem sedi iuste praeferretur aut damnatus iuste deponeretur. Sicque legati dimissi in patriam redeunt, et Alexander non multum post temporis reversus est Romam[3]. Engilhart Magdeburgensis episcopus obiit, succedit
Nov. 13. Wezil[4]. Obiit etiam Adalhardus abbas Altaensis, vir in monastica professione perfectionis summae.

1063.

Rex in Frisingun[5] natale Domini celebravit, ubi

1) Cf. annales Augustanos et Bertholdum, annales Romanos (M. G. SS. XI, 616). 2) Cf. Benzonem II. c. 13 et Bonithonem p. 646. 3) Alexander II. ante pascha anni 1063. Romam rediit. 4) Necrologium Fuldense, Bertholdus, Annalista Saxo de morte Engelhardi anno 1063. consentiunt. 5) *Goslariae* Lambertus, haud dubie hic in errorem inductus. Cf. Stumpf n. 2617.

constituit Wenzlaum Altaensibus patrem, eiusdem congregationis monachum et fratrem, sed tunc temporis abbatem Leonensem. Is ergo Altaham veniens in dominica circumcisione fratribus cunctis congau- Ian. 1.
dentibus, susceptus est cum ingenti honore simulque communi leticia universae familiae. Sanctum igitur pasca rex in Goslare celebravit, ibique in sab- Apr.
bato sancto repentinus tumultus subito exarsit[1], sed 20.
favente Dei clementia mox sopitus cessavit.

Alexander ergo papa, ut iam diximus, Romam reversus erat et, ut mos est Romanae ecclesiae, post pasca sinodum episcoporum et abbatum convenire fecit. In hac igitur sinodo de episcopo Parmensi mota est questio, quod datis pecuniis, per heresim scilicet simoniacam, sedem obtinere tentasset apostolicam et, cum hoc non proveniret ad votum suum, bellum et armatas manus intulerit Romae, matri ecclesiarum, sicque eo praesidente et f. 91'.
consiliante homicidia et membrorum obtruncationes ibi multae forent factae. Haec igitur eius crimina cum cunctis essent manifesta, et ad negandum vel satisfaciendum pro his nec ipse veniret nec quemquam transmitteret, iudicatus ab omnibus, anathematis iaculo est percussus. Ille vero, ut haec audivit, episcopos et clericos, quos potuit, apud Parmam collegit[2] et ipse Alexandrum similiter damnavit, dicens, se pastorem dominici gregis iure habendum, utpute a rege, Romano scilicet patritio, electum et constitutum, illum vero ab omnibus fore detestandum et insequendum, qui non a sacerdotibus vel a Romano populo canonice esset electus, sed a Nordmannis, Romani imperii inimicis, lupina fraude et furtim et subdole fuerat introductus. Hoc igitur modo se invicem isti invidiose mordentes accusabant et defendebant.

1) Tumultus ille pentecostes solemnia turbavit, non festos paschales. Cf. annales Corbeienses et Lambertum. 2) Vide Benzonem II. c. 14.

Rex autem regnique principes nimis anxii erant, quoniam soror regis cum viro suo iam pridem expulsi erant de regno suo, et necdum contra haec quicquam erat gestum, quod regio honori duceretur dignum. Quapropter generale colloquium apud Maguntiam habuit, ususque sapientum consilio, hac eadem aestate exercitum in Ungariam ducere disposuit. Sicque dimissi redeunt ad sua, et quoniam haec futura erat iuvenilis regis expeditio prima, unusquisque, prout potuit, se ad hanc summopere praeparare studuit. Bel autem, qui Salomonem de regno expulerat seseque iam regali unctione consecrari fecerat, cum audisset expeditionem hanc tali apparatu adornari, nimium cepit angustiari. Saepe etenim antea inter nostrates et Ungros bella gesta erant, ideoque illum non latebat nostrorum vel in consilio sapientia vel in bello audacia, et idcirco nimis cepit inquirere, qualiter expeditionem hanc posset praepedire. Tandem igitur excogitato consilio legatos mittit; primo omnium excusare se iussit, quoniam ipse regem Salomonem de regno non
f. 92. expulerit, sed cum ille sua sponte profugeret, nemine insequente, tunc sibi a tumultuante milite impositum diadema non licuisse recusare. Quapropter si rex vellet iam in regnum redire, ipse illum condigno honore, quemadmodum regem dominum suum, paratus esset suscipere eique servire, ea tamen lege, si se permitteret ducatum illum retinere, quam habuerat sub eius patre. Et ut omnem tolleret nostratibus suspicionem, huius pacti filium suum obsidem promisit se transmissurum ad regem. Attamen dolus et fraus Ungarica iam pridem nostratibus rerum veritate sepius erat experta, et ideo verbis his nemo voluit fidem accommodare. Legati redeunt infecta pace, ipse autem, ingenita sibi calliditate pacem se cupere simulans, legatos subinde mittebat, sed nihilo minus interea angustias viarum vallabat,

urbesque muniens ad bellandum se praeparabat. Eius autem ars arte deludebatur, quia spes pacis verbis ei dabatur, re autem vera bellum ingeri parabatur. Quid plura? Adveniente igitur tempore opportuno rex ad fines Ungariae venit[1] cum exercitu Sept.
magno, sed omnem ingrediendi aditum reperit sibi interclusum tam firmissimis munitionibus operum, quam etiam sollicita custodia militum. Quapropter Ungris, qui cum Salomone ad se transfugerant, viam monstrantibus per quoddam harundinetum praemisit partem exercitus, praecipiens, eis ingressis, sibi renuntiari, si ipse cum reliquis posset subsequi. Ipsi autem ingressi propter nimiam difficultatem neminem remittunt, sed itinere duorum dierum urbem quandam, quae Miesiginburch dicitur[2], adeunt, hanc statuunt expugnare et illic regi ingrediendi viam aperire. Rex autem hoc eorum consilium ignorabat, sed tamen ipse, illis nescientibus, ad hanc eandem urbem interim veniebat, sicque ex improviso sibi invicem occurrentes civitati utrimque appropinquabant. Nec mora, ingens tumultus exoritur, urbs quasi in momento capitur, apertisque portis rex cum omni exercitu salvo Ungariam ingreditur. Bel autem cum filio non longe aberat, sed ad bellandum promtus inmensam multitudinem collegerat. Sed mox, ut hos adversum se venientes cognovit, spiritum exhalavit, filius autem, ne caperetur, vix fugiens evasit. Sicque Dei providentia f. 92'.
gens et tota illa terra sine sanguine per regem Henricum regi Salomoni est restituta. Salomon autem, non immemor factae in se pietatis, invitavit regem ad Wizinburg, quae est regni sui metropolis, celebratisque conviviis, muneribus regiae munificentiae dignis eum honoravit, nec quisquam principum decenter non donatus abivit. Gaudentibus igitur cunctis rex cum suis in Baioariam revertitur, et hoc

1) Stumpf n. 2630. 2) Wieselburg.

modo rursus cum Ungris pax firmatur[1]. Hoc anno
Spt. 3. Henricus Augustensis praesul moritur, cui Embriccho successit[2].

1064.

Dominicam incarnationem rex peregit apud Wangionem[3]. His diebus rursus legati Romanorum venerunt conquesti, singulis episcopiis singulos praesules sufficere, de sola apostolica sede duos simul contendere. Hac illorum quottidiana querela rex et principes permoti, statuerunt apud Mantuam sinodum fieri, ubi possent concurrere ambo papae, si fas est dicere, pontifices Teutoni, Romani et Longobardi. Huic decreto ambo simul, Alexander et Kadalo, libenter assentiebantur, quoniam, ut diximus, uterque de causa sua praesumebat. Synodus autem ista in die sancti penthecostes denunciatur futura. Superveniente autem aestate mittitur a caesare ad eandem synodum archiepiscopus Coloniensis cum aliis episcopis et principibus non paucis. Episcopus autem Parmensis cum ingenti multitudine ad locum, qui Aqua nigra dicitur, accessit. Exinde legatos ad archiepiscopum Coloniensem misit, mandans huic, huic concilio se nolle interesse, nisi sibi permitteretur synodum tenere et in loco iudicantis papae praesidere. Sed cum caesareis nunciis indecens ac iniustum hoc videretur, ut Alexander, qui iam papa erat, absens et inauditus deponeretur, ipse quidem in loco, quo diximus, substitit, exploratores tamen inde cottidie Mantuam misit, per quos sciret, quaeque illic dicta vel gesta fuissent. Alexander autem ad synodum promptus occurrit, quoniam regulis ecclesiasticis in omnibus semper
f. 93. obedire studuit. Ex Italia autem pontifices et abbates aliique principes innumeri undique confluunt, et

1) Cfr. Lambertum, qui paucis verbis de hoc bello agit. 2) Cfr. ann. Augustanos. 3) *Coloniae* Bertholdus.

propter studia partium, quae inter illos magna erant, diversi diversis favebant. Igitur feria secunda sancti Mai.
penthecostes cunctis in ecclesiam congregatis, post 31.
invocationem sancti Spiritus omnibus secundum morem positis subselliis, primum Alexander sermonem fecit de pace et concordia, postmodum proferre iussit, si qua essent dicenda. Tunc archiepiscopus Coloniensis: *Rex*, inquit, *et regni principes audierunt de te multorum, qui haec vera adfirmant, relationem, quod per heresim symoniacam perveneris ad sedem apostolicam, cumque tibi conscius fores criminis tanti, Northmannos, Romani imperii hostes, socios et amicos tibi adscivisti, ut eorum auxilio contra regulas ecclesiasticas, etiam rege invito potestatem hanc retineas: quapropter nos a rege directi sumus, ut, quid inde verum sit, cognoscamus.* Tum ille — ut verbis ipsius utamur — respondit: *Nostis quidem, filii charissimi, si accusatores mei veraces vellent esse vel videri, modo deceret eos, sicut me, adfore in praesenti. Quibus tamen non cogerer nisi mea sponte respondere, quia cuncti novimus, iustum non esse, discipulos magistrum accusare vel iudicare. Attamen nunc, ne sancta Dei ecclesia scandalum habeat super me, testor et iuro per hunc, quem colimus, adventum Spiritus sancti, quia conscientiam meam nunquam symoniaca heresi conmaculavi, sed me reclamantem et renitentem traxerunt et in sede apostolica invitum statuentes consecraverunt. Et hoc illi fecere, qui secundum antiquum Romanorum usum eligendi et consecrandi pontificis curam et potestatem noscuntur habere. Quod autem mihi obiicis Northomannorum societatem et amiciciam, nihil est, quod de hoc modo respondeam, sed si quando filius meus rex ipse venerit Romam ad suscipiendam imperialem benedictionem et coronam, ipse tunc praesens comprobabit, quid ex his verum sit.* His auditis, f. 93'.
cuncti credentes, eum obiecta bene purgasse, et ipsi eius electionem laudavere, clero canente: *Te Deum*

laudamus, reliquis autem in commune Deum benedicentibus et laudantibus. Tandem silentio facto Alexander papa de Parmensi episcopo quaestionem movebat, quem tamen ipse non episcopum, sed hereticum nominabat. Cumque eius crimina nemo esset, qui refelleret, synodali iudicio rursus eum devovebat, Cisalpinis et Italicis cunctisque, qui dicere noverant, incidentibus: *Fiat, fiat!* Et hoc quidem modo solutum est concilium die illo. Sequenti
Iun. 1. vero die archiepiscopus Coloniensis non intererat, et ecce fautores Parmensis episcopi ecclesiam cum magno strepitu irrumpebant, Alexandrum papam hereticum vociferabantur, quidam etiam evaginatis gladiis mortem ei minabantur. Quo viso, qui in concilio erant, pene omnes fugere, solus papa vix remansit in loco sessionis suae, adiuvante et consiliante illi Wenzlao venerabili abbate, qui usum Langobardorum iam didicerat plene, quia multa verbis audacter minari soleant, quae tamen opere adimplere nullatenus audent. Quod et hic eodem modo accidit, quia mox, ut Beatrix, uxor Gotefridi ducis, templum cum suis intravit, omnis ille tumultus et fragor bellicus in momento et, ut ita dicam, in ictu oculi deficiens cessavit. Sicque reliquis duobus diebus cum pace ordinatis, quae ordinanda erant, Alexander papa Romam regreditur. Reliqui omnes ad propria revertuntur.

1065.

Natale Christi Coloniae[1] caesar celebrat. Igitur fides catholica iam longe lateque florebat, omnia oracula prophetarum, quae ante adventum Christi admodum pauci intelligebant, iam eo nato et passo cunctis credentibus luce clarius liquebant, inter quae videbatur et illud esse completum: *Et erit sepulchrum*

1) *Goslariae* Bertholdus et Lambertus. In errore versatus est scriptor noster. Cfr. Stumpf n. 2655.

eius gloriosum[1]. Hoc etenim anno Iherusalem pergebat multitudo tanta, ad sepulchrum Domini adora- f. 94.
tura, ut quivis credere posset, quia plenitudo gentium intraret, et quoniam multa dicenda forent de eodem itinere, queso, ne cui videatur grave, nos etiam exinde pauca quaedam summatim perstringere. Inter eos igitur, qui pergebant, principes isti erant: Sigifridus archiepiscopus Moguntiacensis, Wilelmus episcopus Traiectensis, Otto episcopus Ratisbonensis, Guntherius praesul Babenpergensis. Hic ergo, quamvis caeteris adolescentior esset aetate, reliquis tamen inferior non erat sapientia animique virtute, et quod iam post mortem eius sine dolore et gemitu non possumus recordari, tunc temporis decus et columna videbatur tocius regni. Ut enim secretorum illius conscii solent affirmare, ad unguem factus erat multarum virtutum perfectione. Hos igitur primates sequebatur tanta multitudo comitum et principum, divitum et pauperum, quae videtur excedere numerum duodecim millium. Igitur mox, ut fluvium, qui Marowa dicitur[2], transierunt, statim pericula latronum et raptorum crebro incidere, quae tamen ipsi prudenter declinantes et caute, tandem urbem Constantinopolitanam adiere. Illic ergo tam honorifice se agebant in cunctis, ut ipsa graeca et imperialis arrogantia nimium miraretur super his. Pro magno etiam spectaculo praesulem Guntherium inhiabant ipsumque non episcopum, sed regem Romanorum esse credebant, et ob hoc in forma episcopi se occultare, quoniam aliter per illa regna sepulchrum Domini non posset adire. Igitur post aliquot dies inde exeuntes, Aliquiam[3] venere per varias angustias et tribulationes, quemadmodum idem Guntherius episcopus manifestat, ex eodem loco inter caetera scribens ita ad suos, qui domi erant: *Vere, fratres, transivimus per aquam et ignem,*

1) Ies. 11, 10. 2) March. 3) Laodiceam (Latakieh).

et tandem perduxit nos Dominus ad Aliquiam, quam sacra scriptura commemorat Laoditiam. Experti enim sumus Ungros sine fide famulantes, Vulgarios occulte rapientes, fugimus Uzos aperte debachantes, Constantinopolitanos vidimus graece et imperialiter arrogantes, Romanitas perpessi sumus ultra omnem humanam et ferinam rabiem sevientes; gravia quidem perpessi sumus, sed adhuc graviora supersunt. Cum ergo in Aliquia morarentur dies paucos, ecce multi redeun-
f. 94'. tes ex Hierosolimis ceperunt occurrere per dies singulos, comitum suorum mortes innumeras nuntiantes, suas autem calamitates recentibus et adhuc cruentis vulneribus demonstrantes; publice protestantur, neminem per illam viam posse transire, quoniam sevissima gens Arabitarum, humanum sitiens sanguinem, omnem illam occupasset terram. Quid ergo agerent, quo se verterent? Inito igitur consilio citius complacuit, semet ipsos sibi abnegare, totam spem suam in Domino ponere, scientesque, se sive viventes sive morientes Domini esse, alacri mente per terram paganorum versus civitatem sanctam ceperunt abire. Mox igitur ad civitatem quandam, quae Tripolis dicitur[1], cum pervenissent, et dux ille barbarus tantam multitudinem vidisset, sperans, se infinitas pecunias invenire, omnes pariter crudeli ense decrevit trucidare. Sed hoc iniquis meditantibus, divina clementia Domini non defuit in se confidentibus. Confestim ergo de mari, quod civitatem ex una parte inundabat, nubes quaedam tenebrosa ascendebat, ex qua fulgura et choruscationes cum tonitru et horrore nimio procedebant. Cumque tempestas haec usque ad sextam alterius diei extenderetur et mons undarum marinarum plus solito elevaretur, ipsi pagani necessitate constricti vociferabant inter se, civitatem ipsam simul cum plebe quantocius in abissum dimergendam fore, Deo chri-

1) Tripoli.

stianorum pro suis pugnante. Quo metu mortis dux ille ab intentione animi sui revocatur, moxque maris commotio placatur, christianis abeundi facultas conceditur. Variis ergo tribulationibus et angustiis vexati, per totam paganiam tandem veniunt ad urbem Caesaream[1] nominatam, ubi et cenam Domini cele- Mart.
brabant, quae illo anno 9. Kal. Apr. occurrebat. Etiam 24.
quasi pericula cuncta se evasisse gratulabantur, quoniam hinc usque ad Iherusalem non plus quam duum dierum iter computabatur. Altera autem die, Mart.
id est in parazave, hora diei pene secunda[2], cum 25.
egrederentur Capharšala[3] vicum, subito incidere in f. 95.
manus Arabitarum, qui mox ut lupi, esurientes diu desideratam praedam, super eos insiliebant et primos quosque dilaniantes miserabiliter trucidabant. Nostri autem primo temptabant resistere, sed cicius, ut inermes, compulsi sunt in vicum refugere. Quibus fugientibus quantae ibi fuissent hominum cedes, quam innumerae mortis species, quantae calamitates et miseriae, quis valeat verbis explicare? Ibi ergo episcopus Traiectensis Wilelmus graviter vulneratur, et vestibus cunctis exutus cum aliis multis, miserabili modo caesis, in terra iacens dimittitur. Reliqui autem tres episcopi simul cum diversarum gentium non parva multitudine atrium quoddam muratum duasque turres lapideas occupavere[4], exinde, quamdiu Deus daret, parati se defendere. Porta autem atrii nimis angusta erat, ac hoste imminente onera equorum deponere non valebant; ideoque perdiderunt ipsos equos et mulos cum omnibus, quae portabant. Quibus hostes divisis inter se, mox ipsos pecuniarum dominos properabant extinguere. Econtra illi arma iudicantes, quaecunque in manum vene-

1) Kaisarieh. 2) *Circa terciam diei horam*, Lambertus. 3) *Carvasalim* Marianus Scottus. Chabarzaba sive Antipatris oppidum antiquis temporibus nominabatur; non est Capernaum, ut Lambertus sibi persuasit. 4) *Atrium quoddam occupant*, Lambertus.

rant, fortiter resistebant. Quapropter maiori indignatione hostes permoti, acriores insurgebant. Quos nihil omnino contra se ausuros putabant, iam viriliter repugnare videbant. Tribus igitur continuis diebus summa vi praeliatur utrimque, quoniam nostris, quamvis fame et siti vigiliisque laborantibus, tamen pro vita et salute res erat, hostes vero lupina rabie frendebant, quia praedam, quam sibi videbantur inter fauces retinere, nullo modo permittebantur transglu-
Mart. tire. Tandem igitur in ipsa dominica sancti pascae
27. hora diei quasi nona, dicta inter eos pace, octo principes paganorum permissi ascendunt in turrim, in qua erant episcopi, velut ibidem cognituri, quanto pecuniarum pondere vitam suam ac abeundi licentiam vellent redimere. Sed mox ut ascendere, is, qui maximus inter eos videbatur esse, ad pontificem Guntherium, quem principem omnium putabat, accessit, lintheum, quo caput suum involutum erat,
f. 95'. absolvit, collo episcopi sedentis circumposuit[1]: *Ecce*, inquiens, *te solo capto omnes hos in mea potestate habeo et iam iamque tecum pariter in arbore suspendam, quantoscunque ex vobis voluero.* Hic, hic agnosci potuit, quia iustus ut leo confidit. Nam cum haec illius facta et dicta per interpretem agnovisset, venerabilis vir ille nequaquam territus est ex innumera et circumfusa hostium multitudine, sed protinus exiliens uno ictu manus suae paganum ad terram deiecit collumque eius pede suo pressit: *Eia*, inquiens, *mei, insurgite, omnesque istos comprehensos vinculis fortiter constringite, telisque suorum, qui nos impugnant, nudos opponite.* Nec mora, simul cum dicto factum est, quod iussit, et hoc modo impetus inpugnantium paganorum illo die quievit. Sequenti igitur die hora quasi nona dux regis Babyloniorum, qui praeerat in civitate Ramula[2], auditis his, quae

1) *Linteum, quo caput more gentis obvolverat, expediens, facto vinculo, in collum episcopi iniecit*, Lambertus. 2) Ramleh.

fiebant, quamvis gentilis, tamen ad liberandum nostros cum magna multitudine veniebat. Cogitabat enim, si isti perirent tam miserabili caede, nullum posthac causa orationis per illam terram venire, et exinde se suosque grave damnum incurrere. Cuius adventu cognito, Arabes undique dispersi fugere, et ipse, acceptis his, qui comprehensi erant et ligati, nostris ianuam patefecit exeundi. Qui egredientes ad civitatem Ramulam pervenere, ibique a duce et oppidanis illis retenti duas heptomadas inviti resedere. Tandem igitur dimissi, 2. Idus Apr. 12.
Aprilis civitatem sanctam sunt ingressi. Quantus ergo illic fons lachrymarum sit effusus, quantas et quam puras precum hostias Deo inmolaverint, quam hilari mente iam post multa suspiria decantaverint: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*, quis ver- Ps. 131,7.
bis explicare poterit? Ibidem igitur per 13 dies intima devotione vota sua Domino solventes, tandem ad Ramulam regrediuntur ovantes. Arabes autem multo plures undique convenerant, omnesque aditus viarum mente crudelissima insidiantes obsederunt, quoniam extractam sibi de faucibus praedam nimium dolebant. Sed hoc nostri non ignorantes, mox negociatoribus illis naulum dantes ventumque aptum observantes, navem ascenderunt, prosperoque f. 96.
cursu octavo die in portu urbis Aliquiae applicuerunt. Post aliquot ergo dies moventes exinde, quamvis Mai.
non sine magno labore et difficultate, tamen laeti post longa viarum spacia in finibus Ungariae et in ripa Danubii fluminis tandem consedere. Sed fallax hoc saeculum quid laetum unquam habuit aut laeto fine terminavit? Iam enim flumen ipsum transsierant, iam se patriae propinquare gaudebant, et ecce saepe dictus vir inlustris pontifex Guntherus, velut iam de die mortis suae praescius, in ipsa ripa fluminis genu in terram flexit, terramque exosculans: *Laus*, inquit, *et gratiarum actio Deo omnipotenti, qui me in haec*

loca perduxit. Nam ubicunque iam ipse constituerit obitus mei horam vel locum, certus tamen sum, quia fideles mei ad Babenperch deferent corpus meum. Quid multa? Eadem hora morbo corripitur, nec tamen ab itinere retardatur, donec pervenit ad urbem, quae Deserta civitas nuncupatur[1]. Ibi ergo non valens diutius morbo reluctari, sed pro certo sciens, iam appropinquare diem obitus, tribus illis coepiscopis aliisque compluribus sacri ordinis viris facta confessione, sancti olei delibutus unctione, et suscepto
Iul.23. viatico dominici corporis et sanguinis, 10. Kal. Augusti obiit. Cuius corpus fideles illi comites et coepiscopi lamentantes inde levavere et, quia maxima multitudo fidelium eius, aliud de eo sperantium, occurrebat cottidie, cum ingenti luctu pene totius Baioriae et Franciae ad Babenperg detulere et ante aram sanctae Gerdrudis, quemadmodum ipse adhuc vivens ordinaverat, cum honore decenti sepeliere. Et licet ille, ut vere credimus, ad meliora conscenderit, luctum tamen inconsolabilem suis dereliquit. Ut enim cum pace omnium dicamus, nostris temporibus illo in virtutibus maior rarus quisquam surrexit aut nullus, et vix credi potest, si post eum iam talis sit aliquis surrecturus[2]. Succedit in episcopatum illi Herimannus, Mogontinus canonicus[3]. Egil-
Mai. bertus Bathavinus episcopus obiit, Altmannus succe-
17. dit[4]. Rutheri Tarvisiensis episcopus obiit, succedit Wolframmus, tum abbas Oziacensis[5], pridem vero
f. 96'. monachus Altahensis. Hoc anno abbatia Altahensis in beneficium datur Otoni duci Baioarico[6], quod mox

1) Oedenburg. Hoc civitatis nomen etiam Aventinus in margine codicis adscripsit. Albae (Weissenburg) Guntherius fato functus esse in Vita Altmanni (M. G. SS. XII. p. 230) dicitur. 2) De Guntherii itinere ac morte et Lambertus et Marianus agunt, sed minus accurate, quam monachus Altahensis. Vide et Ingulphi, qui ipse itineri interfuit, enarrationem (Savile SS. rer. Angl. pag. 903. 904). 3) *Vicedomnus Mogontinus* Lambertus. 4) Cfr. Lambertum. 5) Praefuit monasterio Ossegg in Bohemia; cfr. auctarium Ekkehardi. 6) Cfr. Lambertum 1063.

multi coeperunt opinari et dicere, quia non ei cessurum esset prospere.

1066.

Natale Christi rex Mogontiaci[1] celebrat, paschalia vero Nemidone[2]. Apr.
Tribus proximis diebus ante 16.
pascha per totam Italiam stella quaedam mirae magnitudinis apparebat, quae radium unum in modum hastae versus orientem mittebat. Post pasca autem in diebus rogationum non per Italiam solum, sed iam per totum regnum stella cometa apparuit et per quatuordecim dies[3] magno miraculo intuentibus fuit. Quibus diebus rex iam adeo coepit infirmari, ut penitus de eo desperassent medici et quidam principum spe et cupiditate iam occupassent solium regni[4]. Sed agente divina clementia rex, qui castigando salubriter castigatur, citius sanitati restituitur, sicque spes iniqua corvorum hiantium deluditur. Cum vero sponsa illius iam esset adulta, quam pater eius secum adduxerat novissime regrediens de Italia, et cum ipse iam flore iuventutis vernaret et Wirziburch natale apostolorum Petri et Pauli celebraret[5], regia Iun.
benedictione eam coronari fecit, moxque in Ingilin- 29.
heim[6] celebratis nuptiis regali munificentia, ut par Iul. 13.
fuit, in consortium regni eam adsumpsit. Hac aestate Aquitani[7] cum Anglis Saxonicis navali praelio pugnaverunt[8], eosque victos suo dominio subiugaverunt. Retulerunt ergo nobis, qui eodem bello interfuere, duodecim millia hominum ex parte vincentium

1) Goslariae a rege natale Christi actum esse, Lambertus refert. Sed cum initio anni rex conventui Triburiensi interfuerit, fides annalium nostrorum praestare videtur. 2) *Traiecti* Lambertus et Bertholdus. 3) *Per quatuordecim fere noctes continuas,* Lambertus. 4) *Rex — — gravissimam aegritudinem incidit, ita ut a medicis desperaretur et principes de regni successione consilia conferre coepissent,* Lambertus. 5) Cfr. Stumpf n. 2693. 6) Errat scriptor. Triburiae nuptias celebratas esse, ex diplomate regis compertum habemus (Stumpf n. 2694); cfr. Lambertum. 7) Normanni. 8) Terrestri proelio Anglos a Normannis devictos esse, inter omnes constat.

cecidisse[1]. Quanti autem ex parte victorum sint mortui, haud facile fuit numero comprehendere. Quidam etiam interpretabantur, idcirco stellam crinitam tam terribilem pridem exarsisse, quod tot millia hominum eodem anno periere[2].

1067.

f. 97. Natale Christi rex peregit Radisponae[3], pascha
Apr. 8. Goslarae. Igitur dux Gotefridus, qui viduam Bonifacii in matrimonio habebat, rege permittente, ut iam diximus, per fines Italos principatum administrabat[4]. Nordmanni autem, qui dudum Apuliam invaserant, per multos annos nimium iam confortati erant, ideoque ignominiosas legationes et responsa regi regnique principibus saepe remittebant. Sed cum rex in aliis regni partibus occupatus esset et idcirco illorum superbiae obviare non valeret, praedictus dux Gotefridus magnam multitudinem Teutonicorum ac Italorum conlegit et ad comprimendam illorum arrogantiam perrexit. Cui etiam dominus papa et Romani se coniungebant, quoniam ipsi iam diu potentiam Nordmannorum nimium metuebant,
Mai. nec per se resistere illis confidebant. Confestim igitur facile ceperunt quaedam castella, quae reddiderunt illis, quorum pridem erant propria, sed per vim Nordmannorum ablata. Cum ergo urbem Aquinum[5] vallassent obsidione firmissima et iam iamque urbs esset capienda, Richardus ducem se convenire per legatos oravit, qui mox, precibus eius annuens, ad pontem Karilan[6] illi obviam venit, ibique in medio

1) Quindecim millia alii scriptores numerant. Lappenberg, Geschichte von England II, 61. 2) Cfr. annales Augustanos. 3) *Spirae* Bertholdus. *Apud Bavenbergam* Triumphus S. Remacli I. c. 18 (M. G. SS. XI, 446). Regem, qui initio mensis Decembris Goslariae moratus erat (Stumpf n. 2698) et ante purificationem Mariae Augustam venit (Ann. August.), Bambergae natalem Christi egisse, verisimillimum est. Tum Augusta Ratisbonam iter fecit (Stumpf n. 2700. 2701). 4) Cfr. supra verba scriptoris a. 1062. 5) Aquino. 6) Est Liris amnis, qui hodie Garigliano vocatur. Convenerunt Godefredus et Richardus in ripa ad pontem S. Angeli in Todici, haud procul a monasterio Casinensi siti; pons interruptus erat.

pontis eiusdem secreto se invicem sunt allocuti, et mox dux obsidionem solvit. Sicque singuli ad propria sunt reversi[1]. His temporibus inter principes Baioaricos periculosae erant exortae inimiciciae, unde factae sunt hominum mortes innumerae, oculorum effossiones aliorumque membrorum miserrimae detruncationes. Dux autem Oto, utrimque accipiens pecuniam, nihil horum curae habebat, et ideo magna pars provinciae incendio et depraedatione vexata laborabat. Inter haec etiam Trevirorum praesul obiit[2], quem pontificatum contra voluntatem eorum rex Chunrado, Coloniensi praeposito, dedit. Cum autem clerus pariter et populus hoc ferrent indigne, quidam episcopii milites eundem episcopum illo venientem vivum cępere et de quadam altissima rupe praecipitari fecere. Quo casu nullam membrorum lesionem passus, cepit fugere, sed mox eum captum secundo praecipitavere. Sicque tercia vice reductus est et deiectus, tandemque moriens ad meliora conscendit, ut vere credimus, miraculis quippe magnis ad tumbam eius coruscantibus. Interfectores autem eius postea, ferreis circulis constrictos, poenitentiam agere conspeximus. Tandem ergo Treviris, concessa electione, elegerunt Utonem virum nobilem et honoratum, eiusdem congregationis canonicum[3].

1068.

Nativitatem dominicam rex peregit in Goslare[4] f. 97'.
et post haec Augustam venit in purificatione Mariae, Feb. 2.
paratus inde in Italiam transire[5]. Sed cum regni

1) Cfr. de his rebus Amatum (Ystoire de li Normant) VI. c. 9. 10, chron. mon. Casinensis III. c. 23, Bonithonem p. 652. 653. 2) Eberhardus, archiepiscopus Treverensis, iam die 15. mensis Aprilis anni 1066. mortuus erat. 3) Cfr. annales Weissemburgenses et Lambertum a. 1067. Vitam Conradi archiepiscopi Treverensis (M. G. SS. VIII. pag. 213—219) et Gesta Treverorum (M. G. l. l. pag. 182. 183). 4) Cfr. Lambertum. 5) Haec haud dubie pertinent ad annum 1067, quo rex in purificatione S. Mariae iter Romanum Augustae parabat. Anno 1068. nativitatem S. Mariae Augustae celebravit; cfr. annales Augustanos.

principibus laboriosum videretur simul ire, facile persuaserunt regi, pueriliter utpute multa consideranti, in Saxoniam redire et pro se legatos in Italiam transmittere. Mittuntur igitur Anno Coloniensis archiepiscopus, Henricus Tridentinus, Otto dux Baioaricus. Hi ergo cum Ravennam venissent, civitatis illius pontificis[1] usi sunt confabulatione et convivio, nec etiam devitabant Parmensem episcopum, sese adeuntem alio in loco, quos utrosque Alexander papa ligaverat anathematis vinculo. Ob hanc igitur causam noluit eos videre, cum Romam venissent, videlicet quia excommunicatis a se communi-
Prov. 19, 25. cassent. Sed quia scriptum est: *Corripe sapientem et diliget te*, citius reconciliari meruere humillima satisfactione, tandemque audita eorum legatione post paucos dies, dimissis illis, mandat regi, quae voluit. Ipse vero more solito post albas[2] sinodum episcoporum habuit, in qua sinodo pontifex a civitate Turtun[3] aderat, qui temporibus piae recordationis papae Leonis contra vastatores episcopii sui dimicando homicidium fecerat et ob hoc iam tot annis sacerdotali ministerio caruerat. Cum vero huc usque perseverasset in luctu penitentiae, illic reconciliari et ministerium suum recipere meruit tocius sinodi intercessione, quoniam, ut diximus, hoc fecerat in defensione ecclesiae. Florentinus autem praesul, quia per heresim simoniacam in episcopatum intraverat, accusatus et manifestis indiciis convictus protinus deponitur[4]. Affuit etiam illic Uto, Trevirorum praesul venerandus, qui et ipse de eadem heresi est accusatus, sed mox, per iusiurandum se excusans, innocens est iudicatus et post haec in magna veneratione a papa et Romanis est habitus[5]. Episcopi au-

1) Heinrici, qui partes Kadali tuebatur. 2) Albae sunt dies hebdomadae, quae pascha subsequitur. Pascha eo anno incidit in diem 23. mensis Martii. 3) Tortona. 4) Cfr. Mansium in Collect. conc. XIX. p. 993. 5) Cfr. Jaffé Reg. Rom. pont. n. 3434.

tem regii nuntii, Roma digressi, confestim ad propria sunt reversi. Solus Otto dux substitit in Italia, quasi cum principibus terrae regni illius tractaturus negotia. Huius rei gratia obviam ei venit cum magna multitudine Italorum dux Gotefridus in urbis Placentinae campestribus. Cum ergo consedissent, f. 98.
et res aliqua agi cepta fuisset, Itali, sua superbia elati et velut natali odio Teutonicum ducem audire dedignati, incondito clamore cuncta coeperunt turbare et nullo perfecto negotio ducem compulerunt abire. Fuere tamen, qui iam tunc inciperent suspicari et dicere, quoniam vir ille regi non esset fidelis perfectę et idcirco in Italia mansisset, si vel ducem Gotefridum vel alium aliquem socium consilii sui posset adsciscere.

Intra haec illae graves, quae inter Baioaricos principes exarserant, inimiciciae Deo miserante facile sunt restinctae. Cum enim ad tantam insaniam prorupissent, ut contra se invicem cum valida manu armatorum in orientis partibus convenirent, tanta mentes eorum quadam die corripuit rabies, ut parentes, cognati et affines, velut iam iamque pugnaturi, armatos contra se invicem educerent et instruerent legiones, spectabaturque miserrima cedes. Sed quid non praestas fidelibus tuis, Ihesu benigne? Ecce enim, cum iam in mutuis corporibus loca vulneribus oculis metirentur et manus eorum ad iaciendum et feriendum iam iamque levarentur, in ipso congressionis articulo et, ut ita dicam, minus quam momento, Deo respiciente, tanta mentes eorum subito pervasit inmutatio, ut, armis depositis, cum fletu et lachrymis, quae pridem egerant, sibi invicem perdonantes et pacis oscula libantes, cuncti ad propria regrederentur sani et ovantes. Annus hic Altahensibus et Leonensibus extitit detestabilis, quia dominus Wenzla, utriusque monasterii pater venerabilis, 8. Kalendas Octobris viam ingressus est uni- Sept. 24.

versae carnis. De cuius viri virtutibus supervacuum duxi aliqua disserere, ne plura dicens inveniar minus dixisse. Hoc tantum de eo viro sufficiat nosse, quoniam multi eorum, quibus praeerat in utroque monasterio, solent adhuc protestari una voce, similem illi pietate patrem se nunquam habuisse et, si post habituri sint, nimium desperare. Eodem anno Rabing patriarcha obiit, cui Sigihardus cancellarius successit.

1069.

f. 98'. Dominicum natale rex Moguntiae[1] peregit, moxque expeditionem contra Liutizos in ipso hiemis tempore parari iussit[2]. Quo tempore dux Otto, qui in beneficium habuit Altahensem abbatiam, fratribus illis eligendi inter se abbatis concessit licentiam. Qui mox sine ulla dilatione elegerunt quendam suae congregationis fratrem, nomine Walkerum, virum multis virtutibus adprobatum. Expeditio autem, quamvis subito iussa esset et facta, tamen admodum utilis est probata. Terra etenim illa paganorum aquis et paludibus est plena, sed tunc, hiemis scilicet tempore, nimium erat congelata, et ideo exercitui facta est facilis ingrediendi et egrediendi via. Levi igitur congressione urbes aliquot ceperunt, villas innumeras vastantes succenderunt, predam et captivitatem inmensam secum abduxerunt. Ipsis ergo diebus facinus infandum patrandum fuisset, nisi Deus iniquorum consilia dissipasset. Cum enim, dimisso exercitu, rex iter ageret cum admodum parva multitudine, saepe dictus et dicendus dux Otto cepit eum rogare, domum suam, quae illius civitatibus in via erat, secum adire, promittens, se inibi serviturum studiose. Qui mox annuit petenti, quia necdum ab eo suspicabatur quicquam mali. Erat autem tunc

1) *Goslariae* Bertholdus et Lambertus; cfr. Stumpf n. 2721. 2) Cfr. annales Weissemburgenses, Bertholdum, Sigebertum Gemblacensem.

inibi Chuno, minister et nutritor regis[1], qui ferebatur gratiam ducis non habere. Iniit ergo, ut dicunt, cum suis dux consilium, ut idem Chuono dehonestaretur, quasi iugulandus ante cubiculum et, cum rex ad sedandum tumultum cubiculo prosiliret, ab aliquo confossus interiret. Tunc igitur militibus ducis, quod sibi iussum erat, conantibus et verborum contumelias, unde litis initium fieret, iaculantibus, moxque his et illis: *Arma, arma!* conclamantibus, Chuononi citius socii sui in armis adstiterunt, sicque temere cepta facile quieverunt. Rex autem nec quisquam ex suis illa hora intellexit, cuius rei causa haec machinata fuerint, attamen verum esse ita, ut diximus, quidam, Egino nomine, postea manifestavit, f. 99.
qui huic consilio eadem nocte interfuit, quique de manu ducis gladium se accepisse affirmabat, cum quo interfectorem regis se fore ipsi promiserat[2]. Haec autem cum illo tempore essent cęlata et sedata, non idcirco tamen quievit iniquorum mens prava. Proxima etenim aestate duodecim Francorum et Saxonum principes contra regem coniuraverunt, quorum unus dux Otto rursus ferebatur esse. Scientes igitur, familiarem hostem ad nocendum esse promtiorem, palam rebellare fecerunt Teti marchionem[3], Adalbertum comitem[4]; reliqui vero simulabant se regi servare fidem, quo vel prospere agentibus rex facilius interiret, vel, si victoria regem sequeretur, istis adiuvantibus illi citius veniam et regis graciam recipere mererentur. Nec mora, urbem quandam, nomine Scidingun[5], episcopi Babenpergensis marchio occupavit, Adalbertus autem regiam abbatiam,

1) Cfr. diploma regis, die 26. mensis Octobris anni 1064. datum, quo Cunoni praedia quaedam concessit (Stumpf n. 2652). Rex profitetur, se liberaliter agere *ob fidele servicium humilemque supplicationem Cunonis iuventutis suae pedissequi.* 2) De Eginone vide Lambertum a. 1070 et Brunonem c. 19. 3) Praefuit marchiae orientali. 4) de Ballenstedt. 5) Scheidungen in Thuringia.

Nienburg dictam[1], invasit et praedia regis, quae in circuitu erant, sibi servire coegit. Rex autem Ratispone positus, ubi haec audivit, collecta multitudine ceptis eorum obviare festinavit. Cuius reditum Adalbertus comes ut cognovit, de civitate, quam pervaserat, profugit. Quem principes quidam cum provincialibus sunt insecuti, sed ab illo illo quidem die miserabiliter caesi sunt et fugati. Rex autem in Thuringia civitatem marchionis, nomine Pichilingun[2], obsedit, quam primo impetu captam succendi iussit. Movens ergo inde Scidingun pervenit, quae licet et ipsa expugnaretur, prima congressione tamen ex parte regis multi vulnerati et mortui cecidere[3]. In praesentia dux Oto tunc aderat, sed nec hos nec illos adiuvabat, nec quemquam ex suis auxiliari sinebat. Haec autem reliqui coniuratores videntes prospere geri, nullo modo se manifestari sunt ausi. Quapropter marchio et Adalbertus, se derelictos sentientes consciosque suos pene ante tubam trementes, magnam praediorum suorum partem regi dantes, gratiam eius meruerunt omnesque consilii
f. 99'. sui coniuratos nominaverunt. Quos tamen rex interim dissimulavit se scire, quia incautum videbatur sibi fore, tot regni primates inimicos simul adsummere. Aliam autem inrationabilem causam ipsis diebus cepit moliri, quae Deo prohibente non potuit perfici. Inlicitis namque concubinarum amplexibus adhaerere solebat et idcirco reginam, quam consortem regni legaliter duxerat, penitus abiicere cogitabat. Auxit autem hanc eius iniquam voluntatem episcopi Mogontini confortatio, qui promiserat, se illi hoc permissurum synodali iudicio[4]. Dum autem haec synodus expectatur, interim regina apud Lorasham[5] morari iubetur. Grandis erat multorum

1) München-Nienburg ad Salam. 2) Beichlingen, haud procul a Kölleda situm. 3) Cfr. Lambertum, qui de his rebus fusius agit. Multa ab eo aliter narrantur, atque in annalibus nostris. 4) Eadem fere Lambertus refert. 5) Lorsch.

admiratio et, quid inde futurum esset, stupens expectatio. Cum vero dies synodi venisset et pontifex Oct. procedens iam consedisset, ecce missus domini apostolici[1] adfuit, qui terribiliter ei minando nunciavit, quia, si ipse auctor fieret huius iniustae separationis, papa vivo nunquam illum compotem fore ministerii sacerdotalis. Quo audito synodus est soluta et regina regali thoro rursus restituta. Temporibus ipsis in Italia contigit huiusmodi res quaedam miserabilis. Adelheit, socrus regis, Laudasanis irata fuit; quapropter, vastata provincia, ipsam civitatem Laudam[2] cum magna multitudine obsedit, quamque expugnatam igne fecit succendi, et portis obstrusis nullum patiebatur egredi. Igitur monasteria ecclesiae cunctaque urbis moenia igne sunt concremata; quo incendio virorum, mulierum ac parvulorum perisse feruntur multa milia. Huius reatus causa post haec Romam adiit, sed papa non indicta penitentia eam redire iussit. Fatebatur enim, se nescire, si qua vel qualis in tot et tantis criminibus deberet indici penitentia vel subsequi indulgentia. Sed quia eundem virum novimus pium ac mitem fuisse, nequaquam credimus, hoc eum dixisse, si cor illius perspexisset digne contritum et humiliatum fuisse[3]. Hoc anno dux Gotefridus obiit, cui filius suus Gozilo, Dec. 24. qui et Gotefridus, in hereditate et principatu successit[4]. f. 100. Eodem anno Hartwicus Veronensis episcopus moritur, pro quo Huswardus eligitur.

1070.

Dominice nativitatis festum rex egit in Frisingun[5]. Post paucos ergo dies obiit vir venerabilis Wolframmus, Tarvisiensis episcopus, pro quo Azili est constitutus. Sacrum autem pasca rex Nemidone[6] Apr. 4.

1) Erat Petrus Damiani. 2) Lodi. 3) De his rebus in aliis historiis nihil inveni. 4) Cfr. Bertholdum 1069 et Lambertum 1070. 5) Consentiunt Bertholdus et Lambertus. 6) *In Hildenesheim* Lambertus; cfr. Stumpf n. 2733.

Mai. 23. celebravit, et in pentecoste in Mihisina[1] colloquium principum habuit. Otto autem dux nullo modo quiescere patiebatur, sed occulta consilia semper contra regem machinabatur. Et cum iam hoc pene omnibus esset in ore, rex tamen dissimulabat, se credere, donec Egino praedictus regem adiit et rem omnem, cuius ipse optime conscius fuerat, manifestavit. Quo cognito rex ultra silere incautum credidit, ducem in sui praesentiam venire iussit; quae de eo audierat, coram multitudinem aperuit[2]. His ille auditis, ut erat callidus nimium, constanter perstabat negare, tandemque dimissus iubetur domum ire, certo die ad Goslare venturus et de eodem crimine coram rege et principibus singulari certamine se purgaturus. Quibus induciis finitis cognoscens, regem in sua sententia perdurare et Eginonem, consiliorum suorum conscium, sibi congressurum fore, die qui-
Aug. 1. dem constituto adfuit, sed tamen in praesentiam regis venire noluit, mandans regi, se non posse curtem venire, nisi rex sibi venienti et abeunti concederet fideiussores pacis firmae. Cui rex: *Pax*, inquit, *ei ad me venienti firma erit et post, prout reus et innocens apparuerit.* Quod responsum secum altius ut tractavit, rursum mittens alias inducias rogavit, moxque equum ascendens festinus abscessit, quia regem non aliud, quam quod ipse postulabat, facturum esse putavit. Cum hoc autem in curia auditum esset, fuere, qui mox insequendum putarent, sed amicis eius, qui in praesenti aderant, contranitentibus et, quibus poterant, verborum argumentis tota die causam protrahentibus, subito rex inquisivit principes sub sacramento regalis iusticiae,
f.100'. quod iustum esset, se iam de hac re agere. Quorum iudicio reus maiestatis esse decernitur, et in regis potestatem redacto ducatu, quem habuerat,

1) *Merseburc* Lambertus. 2) Hoc factum est Mogontiae mense Iunio; cfr. Lambertum.

ipse, ubicunque inveniretur, persequi ab omnibus iubetur. Quapropter quidam ex familiaribus regis predia illius invasere, omnibusque vastatis edificia ipsius villasque concremavere, ipse vero in montana silvae, quae Chetil dicitur[1], se coniecit, quos potuit, socios collegit, exinde eruptiones nunc hic, nunc ibi faciebat, episcopia villasque regales praeda et incendio vastabat. Tali perturbatione terra Saxonum et Thuringorum toto illo anno laborabat[2].

1071.

Natale dominicum rex in Babenberg celebravit[3], ubi ducatum Baioaricum cuidam principi, Welf dicto, tradidit. Is ergo Welf filiam eiusdem Ottonis, de quo loquimur, uxorem duxerat et hanc se legaliter habiturum iureiurando firmaverat. Ergo cum iam soceri sui ambiret ducatum et hoc regiis consiliariis non videretur cautum, eandem uxorem suam patri remisit et se posthac nunquam ad illam accessurum rursus iuravit. Quo facto praediorum suorum et pecuniarum quantitatem regi donavit[4], ducatum accepit, moxque cuiusdam Angli Saxonici principis, Tostig nomine, viduam uxorem duxit, factumque est manifestum periurium et publicum adulterium[5]. Cum autem rex in Luticha celebraret pasca dominicum[6], Apr. 24.
accidisse illic audivimus ab his, qui intererant, tale miraculum. De monasterio, quod Stabelaus[7] dicitur, rex cellam quandam[8] cum omnibus ad eam pertinentibus abstulerat, quam archiepiscopo Coloniensi

1) Thüringerwald. 2) Cfr. Lambertum. 3) Natalem Christi rex Goslariae egit; cfr. Lambertum et diploma regis d. d. 6. mens. Ianuar. (Stumpf n. 2740). 4) *Nihil pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum redituum ac possessionum dilapidaret.* Lambertus. 5) Haec omnia apud Lambertum eodem fere modo narrantur. 6) Coloniae, non Leodii regem pascha egisse, Lambertus docet. Sed post pascha Heinricus Leodium venit; cfr. Triumphum S. Remacli II. c. 1 (M. G. SS. XI, 450). In suspecto quodam diplomate regio (Stumpf n. 2900) haec verba leguntur: *apud curiam nostram Legiae celebratam in pascha, anno videlicet inc. Dom.* 1071. 7) Stablo. 8) monasterium Malmundariense (Malmedy).

tradiderat. Cum igitur fratres nullo modo possent
hanc iterum recuperare, corpus sancti Remaclii in
feretro levantes, ad curtem detulere et ante regem
Mai. 8. et episcopum, simul convivantes, super mensam
posuere. Et: *Eia*, inquiunt, *sancte Dei, supplices tuos
exaudi et defende, bonaque tua noli alienis in prae-
dam concedere. Nec enim ante ad monasterium tuum
a nobis portaberis, quam res pauperum tuorum tibi
vendicare dignatus fueris.* Quo viso et audito, rex et
episcopus irati de mensa se levare, abbatem fratres-
que minis et contumeliis verborum nimium affecere.
Illis autem recedentibus mirabili modo ruptis pedi-
bus, qui firmissimi videbantur, mensa ad terram de-
cidit et, unum de circumstantibus, qui et contra san-
f. 101. ctum Dei latraverat, opprimens, tibiam eius confre-
git. Monachi autem in eodem loco cum reliquiis
sanctis pernoctabant, lacrimisque perfusis incessan-
Mai. 9. ter divinum auxilium flagitabant. Altero autem die,
quo rex ibi commessurus erat, sanctum levantes,
inde in quoddam pomerium detulere. Ibi ergo cun-
ctis, qui ibi aderant, videntibus, quidam contractis
adreptans manibus mox incolomis est erectus. Post
pauca quidam cecus accessit, moxque lumen rece-
pit, sicque per unius horae spacium factae sunt cu-
rationes quinque hominum. Quo audito fit ingens
populi concursus, et campanis subinde sonantibus
cunctisque divinas laudes acclamantibus, rex et
episcopus, qui iam ad mensam consederant, timore
perculsi surgunt, ad locum miraculi accedunt, viden-
tesque vera esse quae audierant, in commune cum
caeteris et ipsi Deum sanctumque eius glorificabant.
Mox igitur rogante episcopo rex cellam, quam abs-
tulerat, reddidit, tantundemque praediorum de suo
addidit abbatemque et fratres in pace abire permisit[1].
Rege autem diem pentecostes in Halberstat cele-

1) Cfr. Triumphum S. Remacli l. l. 450—459 et Lambertum.

brante[1], cum saepe dictus Otto iam sentiret, res suas non proficere, episcopum Adalbertum, quem prius offenderat, sibi conciliavit, eumque causae suae oratorem erga regem fore rogavit. Is ergo inter missarum sollemnia non cessavit tamdiu pro eo agere, quousque regis gratiam meruit recipere praediaque sua ex integro possidere. Beneficia, quae inmensa habuerat, perdidit ex parte maxima, inter quae etiam abbatia Altahensis libertati pristinae est restituta[2]. Fuere etiam, qui crederent, idcirco illum de tanto dignitatis culmine cecidisse, quoniam locum ipsum subiugasset servituti suae, quod nullum praecessorum unquam audierat fecisse.

Hoc anno archiepiscopus Mediolanensis[3] episcopatum sponte sua dimisit et monachicum habitum conversationemque assumpsit. Mox igitur quidam ex clericis[4] ipsius pro episcopatu rogaturus regem adiit, mille libras se daturum iuravit et pontificatu suscepto rediit. Mediolanenses autem audien- f. 101'.
tes, haec taliter acta esse, nullo modo consenserunt illum urbe recipere. Alexander autem papa, ut haec agnovit, utrosque illos anathematizavit, illum quidem, quia semel susceptum regnum pontificatus deposuit se nesciente, hunc autem, quia seniore suo vivente et per heresim symoniacam hoc ausus fuerat usurpare[5]. Et quoniam ad haec venimus, nemini, quaeso, odiosum sit, aperire nos paucis, qualiter eodem anno saepe confutata sit ipsa heresis. Igitur presule Constantiensis ecclesiae moriente[6], quidam Halberstatensis canonicus, Karlimannus nomine, praedia sua pecuniasque inmensas regi tradidit et eundem pontificatum emit, et quia, ut quidam sapiens

1) Cfr. Lambertum, Annalistam Saxonem, chronicon Halberstadense pag. 34. 2) De Ottone regi reconciliato Lambertus minus accurate agit. 3) Guido. 4) Godefredus. 5) Cfr. Arnulphi Gesta archiepp. Mediolan. III. c. 22 et Bonithonem p. 651. 652. Novi nonnihil nostri annales afferunt. 6) Romualdo, qui anno 1069 fato functus erat.

ait[1]: *qui ecclesiae semel per venalitatem subrepserit, quamdiu eidem praefuerit, nunquam redimere cessabit*, mox ut Constantiam venit, clericorum ac laicorum suorum beneficia cepit aufferre substantiasque eorum publicare, volens de rebus eorum pecunias recolligere, quas prius pro acquirendo episcopatu videbatur expendisse. Constancienses autem hac perculsi clade, nequaquam dominum apostolicum hoc celavere, sed eius auxilium contra vastatorem Christi ovium imploravere. Is ergo, ut querelas et preces eorum iustas agnovit, archiepiscopo Moguntiensi, cuius erat suffraganeus, mandavit, ut nullatenus pontificalem benedictionem a se susciperet, nisi prius causam eius sinodali iudicio examinasset[2]. Ad quam etiam sinodum vice sua adesse praecepit Gebhardum Iuvavensem archiepiscopum. Facta igi-
Aug. tur sinodo et rege assidente, simul legato sedis apo-
15. stolicae manifestis indiciis est victus, deponitur, et post paucos dies alius pro eo constituitur[3]. Quando abbas Augiensis obiit[4], episcopus Hildenesheimensis[5] magnam pecuniae quantitatem regi dedit et eandem abbatiam consanguineo suo, abbati de Hildenesheim, Sigiberto nomine[6], dari impetravit, quam cum ille per aliquot tempus tenuisset et cuidam in confessione, qualiter sibi in potestatem obvenerit, manifestasset, audivit ab eo, in huiusmodi reatu nullam confessionem vel indulgentiam fieri posse, nisi homo id, quod suscepisset iniuste, adhuc in carne vivens dimittere festinaverit sua sponte et
f. 102. iuste. *Quam*, inquit, *pro hoc peccato remissionem*

1) Nescio, cuius verba scriptor hic laudet. 2) *Praecepit, nisi se heresi praedicta expurgaret canonice, quod nequaquam eum consecraret.* Bertholdus 1070. 3) Praeter Bertholdum et Lambertum vide acta synodi Mogontinae et litteras de his rebus a Sigifrido archiepiscopo ad papam datas (Geschichte der Deutschen Kaiserzeit III, 1197—1203). 4) Udalricus abbas Augiensis anno 1069 mortuus est. 5) Hezilo. 6) Meginwardus vel Meginhardus vocatur apud Bertholdum Bernoldumque et Lambertum.

oterit quis sperare, quod nec in die exitus sui vult a se separare. Hoc ille audiens, opportunitatem cepit inquirere, ut eandem abbatiam honeste posset dimittere. Inter haec extitit quidam Luitpoldus[1], familiaris regi, qui cepit regem precari, ut de eadem abbatia curtem unam in beneficium sibi iuberet dari. Hoc igitur rege praecipiente sub obtentu gratiae suae, venerabilis ille vir, nactus, quam quaerebat, occasionem ultra noluit dissimulare, sed: *Ecce,* inquit ad regem, *paratus sum ipsam abbatiam prius ex integro relinquere, quam ob vestri gratiam Deum et sanctam Mariam offendere.* Et hoc dicens virgam pastoralem regi reddidit, ipseque ad priorem suam abbatiam in Hildenesheim rediit. Nec diu post idem tempus Luitpoldus letabatur, quia res sanctae Mariae inquietare moliebatur. Nam in praesentia regis cum iter ageret, equo expavescente cecidit, et gladio Iul.
proprio confossus interiit. Cum autem abbatis praedicti gesta in ore multorum versarentur et ab omnibus, qui audierant, laudarentur, quidam Ruodpertus, abbas de monasterio sancti Michaelis[2], triginta libras auri[3], ut ferunt, regi obtulit et eandem Augiensem abbatiam emit. Quod cum fratres et milites eiusdem loci agnovissent et a rege exinde iustitiam habere non possent, missa legatione auribus domini apostolici hoc insinuavere. Qui, ut erat strenuus in rebus ecclesiasticis, litteras mox direxit et eidem abbati ministerium sacri altaris interdixit; cuius praecepto cum nollet obedire, milites eiusdem monasterii eum exinde fugavere[4]. Haec autem Deo teste non scribimus studio detrahendi, sed quia confidimus hoc aliquibus fore ad exemplum cavendi, ne quis deceptus frivola spe huius mundanae exal-

1) Luitpoldus de Mörsburg; cfr. Lambertum (M. G. SS. V, 185) et Brunonem de bello Saxonico c. 81 (M. G. SS. V, 362). 2) Bambergensis. 3) *Irrupit Ruobertus, abbas cognomento Nummularius, annumeratis in aerarium regis mille pondo argenti purissimi.* Lambertus. 4) Cfr. Lambertum et Bertholdum.

tationis et sibi per heresim Deo odibilem mercetur intollerabile dedecus turpissimae deiectionis et in futuro penas perpetuae dampnationis. Hoc autumno, dum haec aguntur, regina filium genuit, qui in albis vita decessit.

1072.

f. 102'. Festum incarnationis dominicae rex celebravit Ratisbonae[1]. Igitur per longum iam tempus potentes quosque rex ceperat contemnere, inferiores vero divitiis et facultatibus extollere et eorum consilio, quae agenda erant, amministrabat, optimatum vero raro quemquam secretis suis admittebat, et quia multa inordinate fiebant, episcopi, duces aliique regni primores de regalibus se subtrahebant. Inter quos Ruodolphus et Berhtoldus duces ad regem sepe vocati sunt, sed tamen venire noluerunt, quousque etiam rex suspicari ceperit, quia contra se rebellare pararent. Cum etiam sermo ferretur, quoniam expeditio contra eos pararetur, ipsi semper mittentes inducias petebant, sicque impetum regis deludebant. Hoc anno Henricus archipraesul Ravennatis ecclesiae moritur, pro quo Wigbertus constituitur. Huswardus etiam Veronensis episcopus obiit, cui Brun successit.

1073.

Natale Domini rex in Babenberg celebravit[2].
Apr. Quo anno Alexander papa ex hac luce migravit, pro
21. quo Romani constituerunt Hildebrandum, eiusdem Romanae ecclesiae archidiaconum, quem conse-
Mart. crantes nominaverunt Gregorium. Diem palmarum
24. rex in Eihstatti[3] celebravit, ubi et Ruodolpho et Berhtoldo ducibus gratiam suam reddidit[4]. Agnum
Mart. 31. vero pascalem Ratisbonae victimavit, in festo pen-

1) *Wormatiae* Lambertus; cfr. Stumpf n. 2752. Sed paulo post rex Ratisbonam venit. 2) Consentit Lambertus. 3) *In civitate Augusta* Lambertus. 4) Idem refert Lambertus.

tecostes apud Augustam colloquium principum habuit[1], moxque se in Saxoniam recepit. Captus etenim nescimus qua locorum dilectione, in silva, quae Harz dicitur, urbes multas iam dudum ceperat edificare. Sed quia in vicino ipsarum urbium praedia pauca vel nulla habebat, illi, qui civitates custodiebant, propter inopiam victualium praedas semper faciebant de substanciis provincialium. Si quis vero curtem adisset haec lamentari[2], contumeliis affectus videbatur expelli. Cumque malum hoc cresceret de die in diem, et rex in Goslare ageret principis apostolorum festivitatem[3], plures Saxonici principes illo devenere, si finem his malis possent impetrare. Qui post aliquot dies, vix intromissi ad regis praesentiam causaque dicta, sine honore et certo responso regrediuntur ad propria. Mox igitur crebra conventicula faciebant et, quid de malis hiis agerent, anxie tractabant. Tandem ergo convenit illis, minis et rebus bellicis res suas potius agere, quam leges patrias libertatemque propriam tam irrationabiliter amittere. Cum autem rex in dilecto sibi loco, Harzesburg dicto, maneret et regale convivium familiaribus suis exhiberet, subito narratur a clientibus, quia magnus Saxonum in proximo consedisset exercitus. Statimque misso nuncio rex, ut causam conventus eorum agnovit, turpe putans, minis eorum cedere, propter paucitatem vero militum metuens, sanguine iudicium facere, ratus tempori cedendum, in Franciam disposuit abire. Cui abeunti saepe dictus Otto in via insidias tetendit et, multo maiorem militum copiam habens, transeunti tamen se inspicienti congredi non praesumpsit. Sicque rex in Franciam ac deinde in Baioariam usque pertransiit[4]. Post regis autem abscessum Saxones urbem

Mai. 19. — Iun. 29. — f. 103. — Aug. 8. — Nov.

1) In his omnibus Lambertus cum monacho Altahensi convenit.
2) i. e. ad haec lamentandum. 3) Cfr. Brunonem c. 23. 4) Cfr. Lambertum et Brunonem c. 27.

illius, Heimburg dictam[1], obsiderunt eamque in deditione susceptam destruxerunt, villas quasdam succenderunt, ac deinde mala multa in illa regione excreverunt.

1) Heimburg, castellum prope Blankenburg situm; cfr. Lambertum (M. G. SS. V. p. 201) et carmen de bello Saxonico (Reuber Scriptores p. 203. 204).

SCRIPTORES RERUM

GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ

SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

WIDUKINDUS.

HANNOVERAE,

IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI

1866.

WIDUKINDI

RES GESTAE SAXONICAE

EX RECENSIONE WAITZII.

IN USUM SCHOLARUM
EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

EDITIO ALTERA.

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1866.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNORUM.

EX PRAEFATIONE WAITZII

IN MONUMENTIS GERM. HISTORICIS

SS. T. III, 408.

Widukindum, libri quem iam edituri sumus auctorem, Saxonem et monachum fuisse Corbeiensem, satis constat, et ipse praefatione profitetur. Vixit medio saeculo decimo. Chronico brevi Corbeiensi teste [1]*, Folkmaro abbate, qui inde ab a.* 917—942 *monasterio praefuit, monachus receptus est; inter quadraginta novem ipse ultimo proximus nominatur; ita ut postremis Folkmari annis demum coenobium intrasse videatur. Folkmari successorem Bovonem, qui annis* 942—948 *monasterium Corbeiense rexit, a Deo ostensum non concessum memorat* [2]*, cuius tempore a.* 946 *obsides Boemorum iussu Ottonis populo praesentatos vidit* [3]. *Sigebertus Gemblacensis tam in chronico a.* 973 *quam in libro de SS. eccl.* [4] *ipsius librorumque ab ipso relictorum mentionem facit. Trithemius* [5] *vero plus quam* 40 *annis eum scholae Corbeiensi praefuisse monet et ipsum Meginradi scholastici Hirsaugiensis fama allectum hunc adiisse et per aliquot dies apud eum commoratum fuisse tradit. De Widukindi vita praeter haec nihil constat; de se ipso nihil annotavit; neque quo anno obierit compertum habemus* [6].

1) Meibom. I. p. 756. Ann. Corbeienses ap. Leibn. II. p. 301, quos dubiae fidei esse facile est intellectu, a. 971: *Claruit*, inquiunt, *Wittichindus noster, praeclarus historicus, Mathildae reginae specialiter carus.* 2) III, 2. *codd.* 2. 3. 3) II, 40. 4) c. 129. ap. Fabricium bibl. eccl. p. 108. 5) Ann. Hirsaug. p. 98. 6) Soli annales Corbeienses recentiores ap. Leibn. SS. I, 302. tradunt, a. 1004 Hosed monasterii abbatem ipsi monumentum erexisse; pium et doctum scholae magistrum et historicum etiam regi et reginae carum ibidem vocatum esse, addunt; quod quanti sit habendum, certo definire nolo.

Widukindi memoriam quae scripsit opera nobis servarunt. Tradit Sigebertus, eum praeter historias etiam vitam S. Pauli heremitae et passionem Teclae virginis composuisse[1]. *Idem monet Trithemius, praeterea vero plura eius scripta recenset. Ita librum de studiis veterum monachorum eum confecisse testatur, ex quo haec affert verba*[2]: Monachorum ille *(Meginradus)* doctissimus praeceptor veluti Hieronymus alter divinarum interpres scripturarum profundissimus sua nos eruditione vertit in stuporem, ut vere caelestis sapientiae dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum. *Sermones ad fratres, epistolarum ad diversos librum unum, epigrammaton librum unum in catalogo illustrium virorum*[3] *ei tribuit, quorum alibi nullam fecit mentionem, quaeque an revera a nostro sint conscripta, non sine causa dubitari posse videtur*[4]. *Certe omnia deperdita sunt aut hucusque nos latent; longe his vero praestant quae de Saxonum imperatorumque Saxonicorum historia scripsit Widukindus. Sigebertus Saxonum historiam usque ad mortem Ottonis primi et praeterea huius vitam eum scripsisse tradit. Sigeberto ut videtur auctore, haec repetivit Trithemius*[5], *in chronico Hirsaugiensi*[6] *vero nonnisi de gestis Heinrici I., Ottonis I. et origine Saxonum historiam tribus libellis digestam ei tribuit. Denique vero in annalibus eiusdem coenobii opera historica quatuor recenset*[7].

1) In Actis Sanctorum utriusque vitae nulla mentio fit; ideo deperditae esse videntur. 2) Ann. Hirsaug. l. l. 3) Opera. Francof. 1601. II. p. 129. 4) Versus quos edidit ex cod. Corbeiensi Widukindi nomine inscriptos Letznerus in vita Ludowici Pii c. 19. f. 63'. ad ipsum pertinere, omnino negarim. 5) cat. ill. virorum l. l.; SS. eccl. c. 301. apud Fabr. p. 78. 6) Opera II. p. 32. 7) Ann. Hirsaug. p. 98: *Hic inter reliqua ingenii sui opuscula scripsit de origine Saxonum libros III, ad Mathildam quoque filiam Ottonis primi scripsit gesta Heinrici primi regis librum unum, ad eandem vitam et gesta Mathildis reginae uxoris eiusdem*

Supersunt libri tres rerum gestarum Saxonicarum, quibus auctor tam populi originem quam res ab Heinrico atque Ottone gestas descripsit. Eum de populi sui regumque historia alia quaedam confecisse, omnino negarim. Trithemius foedo errore modo totum opus modo singulos libros in catalogum recepisse videtur; quae de vita Mahthildis adiecit, unde hauserit nescio[1]*; vitam editam nostro nequaquam tribui posse, satis constat; huius scriptor vero aliam vitam nullam cognovit, sed quum talis desideraretur a reginae nepote, imperatore Heinrico II., istam confecit. — Sigebertus vero fortasse ipsius Widukindi verbis in errorem ductus est. Librum primum enim his incipit:* Post operum nostrorum primordia, quibus summi Imperatoris militum triumphos declaravi *etc. Haec procul dubio ad martyrum, Dei militum, vitas supra allatas spectant, Sigebertus vero de imperatore Ottone cogitasse videtur, ideoque eius gesta iam antea separatim descripta et edita esse statuit.*

Libros rerum gestarum Saxonicarum Widukindus Mahthildi, Ottonis regis filiae, inscripsit; Heinrici et Ottonis, avi et patris, gesta scribere summum eius fuit propositum; de Saxonum origine pauca tantum praemisit. Studuit brevi sed eleganti et perspicuae narrandi et scribendi rationi; strictim, *inquit,* et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus. *Dolet quidem librum ingenii sermonisque claritate egere; sed quod dolet, eum haec affectasse ostendit. Et revera Widukindus apta et quasi rotunda verborum constructione, narratione perspicua et gravi, tantum non omnibus huius saeculi scri-*

Heinrici regis primi; Ottonis quoque primi gesta ad eandem conscripsit. 1) nisi fortasse libri tertii continuationem hoc nomine indicaverit.

ptoribus longe praestat. Quae descripsit magnam partem ipse vidit, alios libros nusquam fere exscripsit, ideoque inter praestantissimos historiae medii aevi fontes est referendus. De temporibus antiquissimis solam pene famam secutum se scripsisse, ipse testatur[1]*; vidit historias Anglosaxonum, nisi fallor, Bedae*[2]*, Langobardorum Pauli Diaconi*[3]*, Gothorum Iordanis*[4]*, Francorum gesta*[5]*, sed pauca tantum ex his libris suo inseruit. In bellis a Francis cum Saxonibus gestis*[6] *et Ottonis habitu moribusque describendis*[7] *Einhardi vitam Karoli prae oculis habuisse videtur. Ruodolfi vero translatione sancti Alexandri eum usum fuisse*[8]*, vix putarim; uterque ex eodem fonte, prisca traditione, hausisse mihi videtur; ideoque valde inter se conveniunt, neque tamen omnino concordant. Ubi cum Liudprando in rebus enarrandis congruit*[9]*, idem fere statuerim; certe ipsius libros non vidit. Etiam postea ex populi rumore, ex carminibus vulgaribus plura in historiam suam recepit; quae de Hattonis perfidia erga Adalberhtum traderentur, tanquam vulgi rumore ficta, postea respuit quidem*[10]*; vix tamen maiorem fidem ea merentur, quae de dolo adversum Heinricum excogitato narrat. Hoc loco et saepius*[11] *vocabulo* fertur *similibusque fontem illum indicare videtur; mimorum carmina et ipse affert*[12]*; et haud errare mihi videor, si magnam libri primi partem ad haec revocandam esse statuam. Primis Heinrici ducis annis ipse nondum natus aut puer fuit primae aetatis; quae postea de his scripsit, ex sola traditione haurire potuit. Nam libro scripto in his rebus narrandis se usum*

1) I. c. 2. 2) I. c. 8. 3) I. c. 14. 4) I. c. 18. 5) I. c. 15. 6) I. c. 15. 7) II. c. 36. 8) Mon. II. p. 673. 9) cf. I. c. 19 de Ungariis, I. c. 22 de Adalberhti morte. 10) I. c. 23. 11) I, 23. II, 23. 12) I, 23.

esse, nusquam indicavit; ex chronico quodam Corbeiensi eum hausisse, quod plures statuerunt, ostendi nequit. Chronicon sub hoc nomine a Cl. Wedekind editum saeculo superiori ex ipso Widukindo magnam partem est compilatum; annales vero Corbeienses (Mon. SS. III, 1.) non vidisse, certe non ad librum scribendum adhibuisse videtur[1]. *Nam annorum computationem, quam illi satis accuratam exhibent, noster prorsus neglexit, praeterea plura illis relata ipse omisit. Widukindi historiam non ex annalibus confectam, sed ex rerum cognitione aliunde hausta scriptam esse, cuique librum pervolventi perspicuum fore confido. Ultimis Heinrici annis et praesertim Ottonis temporibus res quas narrat bene compertas habuit; his fuit coaevus, regiae domui et ipse coniunctus ideoque procul dubio rerum cognitione satis instructus. Errores etiam hac parte commisit; sed quae in ipsa Saxonia gesta sunt, recte perspexit, et haec ipsi credere fas est.*

Libri editi usque ad Ottonis primi mortem historiam deducunt; maximam vero partem iam antea conscriptam esse, facile est demonstratu. Nam Ottone imperatore vivo se scripsisse, Widukindus saepissime indicat[2]*; et codex Dresdensis*

1) Quae annis 963 et 964 leguntur cum Widukindo III, 63 quodammodo conveniunt; de Calabria ab Ottone a. 964 subacta Corbeiam rumorem pervenisse haec ostendunt, id quod noster libro suo nseruit, monachus quidam — fortasse ipse Widukindus — in annales retulit. 2) *Ex hoc res Francorum coeperunt minui, Saxonum vero crescere, donec dilatatae ipsa sua iam magnitudine laborant, ut* ***videmus*** *in amore mundi et totius orbis capite* ***patre tuo***; — *habeamus te advocatum apud terrenum regem,* ***tuum*** *scilicet* ***patrem et fratrem*** (I. c. 34); — *quamquam in Africam Asiamque* ***patris tui iam potestas protendatur*** (II. praef.); — (Otto) *Romana lingua Slavanicaque loqui* ***scit***, *sed rarum est, quo earum uti* ***dignetur***, . . . *tabularum ludos* ***amat*** etc. (II, 36); — *nati sunt regi filii — tertius paterni nominis maiestate designatus,* ***quem iam post patrem dominum ac imperatorem universus sperat orbis*** (III, 12).

non integrum tertium librum exhibet, sed c. 69 *his verbis finitur:* Is finis Wichmanno talisque omnibus fere qui contra imperatorem arma sumpserunt, patrem tuum.

Hucusque vero, ni fallor, a. 967 *vergente Widukindus scripsit. Sunt quidem quae ipsum iam antea libro finem imposuisse, innuere videantur. Wichmanno subacto, rebusque, ut ipsius verbis utar, rite compositis, Ottonem iterum in Italiam profectum esse tradit, res vero ibidem gestas quam brevissime attingit.* Haec nostrae, *inquit,* tenuitatis non est edicere, sed, ut initio historiae praedixi, in tantum fideli devotione elaborasse sufficiat. Caeterum erga tuam claritatem serenitatemque — magna devotio opus humile magnificet. At finis civilis belli terminus sit libelli. *Haec verba quam maxime fini convenire, nemo non videt. Res sive in Italia sive in Germania a.* 964 — 967 *gestas, si bella Slavica excipias, nullae ne indicantur quidem a nostro. Usque ad medium a.* 964 *c.* 63 *res perstringit; a.* 965 *incipiente Otto in Germaniam rediit, mense Iunio Gero, Octobri Bruno obierunt. Anno sequenti Mahthildis, Ottonis filia, abbatissa Quedlinburgensis electa et constituta*[1]*, imperator vero iterum in Italiam profectus est. De his omnibus nihil Widukindus. — Attamen iam a.* 964 *librum eius conscriptum esse, statuere non licet. Post obitum Brunonis archiepiscopi*[2]*, dum imperator Otto cum filio Ottone in Italia morabatur*[3]*, tricesimo anno post victoriam de Ungariis a.* 938

1) Ann. Quedl. h. a. Ideo iam Bouquet VIII, 217. n. a. ipsi iam antea librum Widukindi dedicatum esse putavit. 2) I, 31: *quem pontificis summi ac ducis magni vidimus officium gerentem*; cf. II, 36. De Gerone, qui paucis post mensibus obiit, III. c. 54. dicit: *Erat Gero* etc. 3) III, 63. *quam* (Mahthildam) *patris fratrisque celsitudo patriae ad omnem honorem nobisque ad solatium reliquit.*

in Saxonia reportatam[*], *Widukindus in historia scribenda occupatus fuit. Wichmannus, de cuius interitu ultimis capitibus dicit, mense Septembri a.* 967 *mortuus esse videtur*[1]*; in nativitate Domini eiusdem anni Otto II. imperialem accepit coronam. Cuius rei cum nonnisi in continuatione post addita mentio fiat*[2], *ultimis anni* 967 *aut primis a.* 968 *mensibus*[3] *librum esse absolutum, recte statuere mihi videor. Sed res ab Ottone his annis gestas* per partes *scripsit; usque ad a.* 958 *res Saxonicas satis fuse exposuit; postea cum imperator in Italiam profectus esset ibique per plurimos annos degeret, quae ibidem gesta sunt memoriae tradere noluit*[4]*; turbarum vero quas Wichmannus in Saxonia et Slavia excitavit finem descripsit. Denique Ottone magno imperatore mortuo, pauca historiae adiicienda esse iudicavit. Imperatoris epistola* (968), *bella cum Graecis gesta* (969), *nuptiae Ottonis secundi* (972), *obitus Mahthildis reginae, Wilhelmi et Bernhardi pontificum* (968), *Hermanni ducis, ipsius denique imperatoris* (973) *his referuntur. In plerisque codicibus cum prioribus arctissime coniuncta leguntur, iam Thietmarus iis usus est, Sigebertus, Ekkehardus, Annalista Saxo eadem adhibuerunt; ideoque quin etiam haec ab ipso Widukindo addita sint, minime dubito, quamvis dicendi rationem paulo diversam offendere mihi videar, et Trithemius Widukindi historiam ab alio quopiam completam esse moneat*[5]. *Quae ad vitam Mahthildis*

*) II, 4. 1) Sigebertus, quem Ann. Saxo et Chron. S. Bavonis secuti sunt, in anno 967 Wichmanni mortem collocavit, qui quamvis in annis indicandis nullibi certam fidem meretur, ex verbis c. 70, quibus continuatio incipit, haec recte fere statuit. 2) Ipse imperator in epistola 18. Ian. 968 scripta Saxonibus hanc rem indicavit. 3) antequam epistola ista in Saxoniam perlata erat. 4) libros enim *rerum gestarum Saxonicarum* scribendos susceperat. 5) Chron. Hirs. praef. opp. II. p. 2.

prope accedere videntur, ex ea revere hausta esse, nullo modo concesserim. Procul dubio paulo post Ottonis mortem haec scripta sunt, ab ipso Widukindo addita, ut imperatoris res absolveret, quas in Germania gestas ipse vidit. Non continuam horum annorum confecit historiam, sed pauca tantum quae huc facere viderentur, memoriae tradidit. Utinam haec quoque accuratius exposuisset, utinam alter Widukindus Ottonis II. et III. historiam conscripsisset!

Ipse vero, cum postea continuatione illa librum augeret, etiam III. c. 2. de Bovone Corbeiensi quae in codice Dresdensi desiderantur addidisse videtur; historiam vero Hattonis et Adalberhti qualem in eodem codice legimus ieiunam et nimis timidam[1] *non Widukindo sed nescio cui Moguntinae dioeceseos scribae tribuendam esse puto. — Postea vero totum librum retractasse videtur. In codice enim Casinensi, quae de Adalberhti interitu et de Bovone scripta erant, omittuntur, quaedam aliter expressa, verba verbis mutata leguntur. Libros in capita divisos hic solus habet, singulisque libris eorum indicem praemittit. Quod, cum Widukindus ultimam operi manum imponeret, factum esse videtur.*

Widukindi librum multi chronographi secuti sunt ipsumque pro parte ad verbum exscripserunt. Primo loco Thietmarus nominandus est, quem magnam primi et secundi libri partem ex nostro hausisse, iam satis constat. Attamen nullibi fere ipsius verba retinuit, sed suo more easdem res mutato sermone expressit. Ideo magis ad Wi-

1) Widukindo, et in culpis Frithurici archiepiscopi Mogunt. recensendis nimis timido, narrationem recensionis primae de Hattone, certe magis ieiunam quam res postulabat, sed et loco Cassella indicato ditiorem, haud abiudicaverim. PERTZ.

dukindum explicandum quam ad verba restituenda adhiberi potest.

Annales Metenses saec. X. aut XI. conscripti ex Widukindo quam plurima sumpserunt eiusque narrationem in epitomen redegerunt. Codex a Chesnio editus verbis I. c. 36 acceptoque sacramento *finitur et plerumque veris lectionibus concordat.*

Ekkehardus Uraugiensis magnam Widukindi partem ad verbum fere descripsit. Ex ipso vero ad chronographos medii aevi quam plurimos Widukindi narratio pervenit, monachum Hamerslebensem, Chronographum Saxonem, chronici Halberstadensis auctorem, Albertum Stadensem, chronicae Sancti Pantaleonis scriptorem, Heinricum de Hervordia, Andream Ratisbonensem, Trithemium, Staindelium et alios [1]. *Hi omnes, si Trithemium excipias, Widukindi librum haud habuisse videntur* [2], *sed in rebus Saxonicis enarrandis Ekkehardum secuti sunt.*

Sigebertus Gemblacensis vero ipso Widukindo ad chronica sua scribenda usus est, sed brevi narrationi studens sermonem ubique fere mutavit, ita ut vix semel aut bis codicis lectionem perspicere liceat. Annalista Saxo et Ekkehardum et Widukindum adhibuit.

Chronographi Saxonici posterioris aevi plures fortasse Widukindum habuerunt (id quod de Gobelino Persona [3] *constat), sed integra verba nullus exscripsit ante Trithemium, qui quamvis*

1) Ita historia: *quomodo Saxones primo venerunt ad terram Saxoniae* a Ludewig Rel. mss. VIII. p. 154 edita, et quae scripsit anonymus de Suevorum origine (Goldast SS. rer. Suev. p. 1.) ex Ekkehardi chronico hausta sunt. 2) Chron. Saxo quae Ekkehardus omisit ex Ann. Saxone recepisse videtur. 3) cf. VI. c. 38.

plerumque Ekkehardo usus sit, certe tamen electionem et coronationem Ottonis Widukindo duce narravit[1], *quam plurima vero ex ingenio addidit.*

Codices quos ad novam editionem adornandam adhibui sunt: A) Dresdensis, 1) *Casinensis,* 2) *olim Steinveldensis. Numero* 3) *editionem Frechtii notavi. Maxime vero codicem Casinensem tanquam antiquissimum secutus sum, quem ope Dresdensis et Steinveldensis emendavi.*

1) Ann. Hirs. I. p. 73.

AD DOMINAM MAHTHILDAM IMPERATORIS FILIAM

LIBRI PRIMI INCIPIT PRAEPHATIO.

Flora virginali cum maiestate imperiali ac sapientia singulari fulgenti dominae Mahthildae ultimus servulorum Christi martirum Stephani atque Viti, Corbeius Widukindus, totius servitutis devotissimum famulatum veramque in Salvatore salutem. Quamvis te paternae potentiae gloria singularis magnificet ac clarissima decoret sapientia, nostra tamen humilitas praesumit de proxima sceptris semper clementia, quia nostra devotio a tua pietate suscipiatur, etiamsi non mereatur. Nam cum nostro labore patris potentissimi avique tui gloriosissimi res gestas memoriae traditas legeris, habes unde ex optima et gloriosissima melior gloriosiorque efficiaris. Nec tamen omnia eorum gesta nos posse comprehendere fatemur, sed strictim et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus. Sed et de origine statuque gentis, in qua ipse rerum dominus Heinricus primus regnavit, pauca scribere curavi, ut ea legendo animum oblectes, curas releves, pulchro otio vaces. Legat igitur tua claritas istum libellum ea pietate nostri memor, qua est conscriptus devotione. Vale.

EXPLICIT PRAEPHATIO.

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER PRIMUS RERUM GESTARUM SAXONICARUM.

1. Post operum nostrorum primordia, quibus summi Imperatoris militum triumphos declaravi, nemo me miretur principum nostrorum res gestas litteris velle commendare; quia in illo opere professioni meae, ut potui, quod debui exolvi, modo generis gentisque meae devotioni, ut queo, elaborare non effugio.

2. Et primum quidem de origine statuque gentis

pauca expediam, solam pene famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Northmannisque originem duxisse Saxones, aliis autem aestimantibus, ut ipse adolescentulus audivi quendam praedicantem, de Graecis, quia ipsi dicerent, Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui secutus magnum Alexandrum inmatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Caeterum gentem antiquam et nobilem fuisse, non ambigitur; de quibus et in contione Agrippae ad Iudaeos in Iosepho oratio contexitur[1], et Lucani poetae sententia probatur[2].

3. Pro certo autem novimus, Saxones his regionibus navibus advectos[3], et loco primum applicuisse qui usque hodie nuncupatur Hadolaun.

4. Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus, qui Thuringi traduntur fuisse, arma contra eos movent; Saxonibus vero acriter resistentibus, portum obtinent. Diu deinde inter se dimicantibus, et multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, foedus inire; actumque est foedus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, caeterum ab agris, a caede hominum atque rapina abstinerent; stetitque illud foedus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defecisset pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem esse arbitrabantur.

5. Ea igitur tempestate contigit, adolescentem quendam egredi de navibus oneratum multo auro,

1) Locus Iosephi extat Lib. II. cap. 16. de bello Iudaico, ubi tamen non Saxonum fit mentio, sed in genere de Germanis dicitur. MEIBOM. Hegesippum in hist. belli Iudaici Iosephum de Saxonibus perorantem inducere, alii annotarunt; nonne noster de hoc loco cogitavit? 2) Apud Lucanum I. v. 423 antea legebatur: *et Biturix, longisque leves Saxones in armis;* iam vero ex Micylli et Turnebi sententia optimorum codicum fide confirmata: *Suessones.* 3) Cf. Ruodolfus de transl. S. Alexandri Mon. II. p. 674.

torque aurea, simulque armillis aureis; cui obvius quidam Thuringorum: *Quid sibi vult*, inquit, *tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emptorem*, inquit, *quaero*, *ad nichil aliud istud aurum gero; qui enim fame periclitor*, *quo auro delecter?* At ille qualitatem quantitatemque pretii rogat. *Nullum*, inquit, *michi est*, Saxo, *discrimen in pretio; quicquid dabis gratum teneo.* Ille vero subridens adolescentem: *Quid si*, inquit, *de isto pulvere sinum tibi impleo?* erat enim in praesenti loco egesta humus plurima. Saxo nichil cunctatus aperit sinum et accipit humum, ilicoque Thuringo tradidit aurum; laetus uterque ad suos repedat. Thuringi Thuringum laudibus ad coelum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit, fortunatumque eum inter omnes mortales fuisse, qui vili pretio tam ingens aurum possederit. Caeterum certi de victoria, de Saxonibus iam quasi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo, appropiat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus, et quid ageret admirantibus, alii eum irridere coeperunt amicorum, alii arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille postulato silentio: *Sequimini*, inquit, *me*, *optimi Saxones*, *et meam vobis amentiam probabitis utilem.* At illi, licet dubii, sequuntur tamen ducem. Ille autem sumpta humo, per vicinos agros quam potuit subtiliter sparsit, et castrorum loca occupavit.

6. Ut autem viderunt Thuringi castra Saxonum, intolerabilis res eis visa est, et missis legatis conquesti sunt de rupto foedere ac violato pacto ex parte Saxonum. Saxones respondent, se hactenus foedus inviolabiliter servasse; terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere aut certe armis defendere. His auditis, incolae iam maledicebant aurum Saxonicum, et quem paulo ante felicem esse praedicabant, auctorem perditionis suae suaeque re-

gionis fatentur. Ira deinde accensi, caeco marte sine ordine et sine consilio irruunt in castra; Saxones vero parati hostes excipiunt sternuntque, et rebus prospere gestis, proxima circumcirca loca iure belli obtinent. Diu itaque crebroque cum ab alterutris pugnatum foret, et Thuringi Saxones sibi superiores fore pensarent, per internuntios postulant, utrosque inermes convenire, et de pace iterum tractare, condicto loco dieque. Saxones postulatis se oboedire respondent. Erat autem illis diebus Saxonibus magnorum cultellorum usus, quibus usque hodie Angli utuntur, morem gentis antiquae sectantes. Quibus armati Saxones sub sagis suis, procedunt castris occurruntque Thuringis condicto loco. Cumque viderent hostes inermes, et omnes principes Thuringorum adesse, tempus rati totius regionis obtinendae, cultellis abstractis, super inermes et inprovisos irruunt et omnes fundunt, ita ut ne unus quidem ex eis superfuerit. Saxones clari existere, et nimium terrorem vicinis gentibus incutere coeperunt.

7. Fuerunt autem et qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim nostra lingua sahs dicuntur[1], ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.

8. Dum ea geruntur apud Saxoniam quae ita modo vocitatur regionem, Brittannia a Vespasiano principe iam olim inter provincias redacta et sub clientela Romanorum multo tempore utiliter degens, a vicinis nationibus inpugnatur, eo quod auxilio Romanorum destituta videretur. Populus namque Romanus, Martiali imperatore a militibus interfecto[2], externis bellis graviter fatigatus, non sufficiebat solita

1) cf. Nennius hist. Britton. cap. 48. Schaten hist. Westphal. (ed. II.) pag. 119: *Usus*, inquit, *huius vocis hodiedum in Saterlandia obtinet apud incolas prisci sermonis retinentissimos, apud quos coram audivi loquentes sachs cultrum sonat.* 2) Cum hic de traditionibus agatur, Marciani imperatoris nomen, eodem saeculo quinto clari, perperam immisceri, haud mirum. PERTZ.

auxilia administrare amicis. Exstructo tamen ingenti opere ad munimen regionis inter confinia a mari usque ad mare, ubi inpetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hosti acriori et ad bellandum prompto, ubi gens mollis et pigra belli resistit, nulla difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus a Saxonibus prospere gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia[1]. Et procedentes legati: *Optimi*, inquiunt, *Saxones, miseri Bretti crebris hostium incursionibus fatigati et admodum contriti, auditis victoriis a vobis magnifice patratis, miserunt nos ad vos, supplicantes, ut ab eis vestra auxilia non subtrahatis. Terram latam et spatiosam et omnium rerum copia refertam vestrae mandant ditioni parere. Sub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter viximus; post Romanos vobis meliores ignoramus; ideo sub vestrae virtutis alas fugere quaerimus. Vestra virtute, vestris armis hostibus tantum superiores inveniamur, et quicquid inponitis servitii, libenter sustinemus.* Patres ad haec pauca respondent: *Certos amicos Brettis Saxones sciatis, et eorum necessitatibus atque commodis aeque semper affuturos.* Legati laeti redierunt in patriam, exoptato nuntio socios laetiores reddentes. Deinde promissus in Brittanniam mittitur exercitus, et gratanter ab amicis susceptus, in brevi liberat regionem a latronibus, restituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit, quippe qui iam olim audita fama Saxonum perculsi terrebantur, dummodo praesentia eorum procul pelluntur. Erant enim hae gentes Brettis adversae Scotti et Pehti, adversus quos militantes Saxones, accipiebant a Brettis omnia ad usum necessaria. Manserunt itaque in illa regione ali-

1) Legationem missam esse, etiam Beda II. c. 15. tradit; hanc vero orationem noster solus exhibet.

quanto tempore, vicaria Brettorum bene usi amicitia. Ut autem viderunt principes exercitus terram latam ac fertilem et incolarum manus ad bellandum pigras, se vero ac maximam partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad revocandum[1] maiorem exercitum, et pace facta cum Scottis et Pehtis[2], in commune contra Brettos consurgunt, eosque regione propellunt, suae ditioni regionem distribuunt. Et quia illa insula in angulo quodam maris sita est[3], Anglisaxones usque hodie vocitantur. De quibus omnibus si quis plenius scire voluerit, historiam gentis eiusdem legat[4], et ibi inveniet, quomodo aut sub quibus ducibus haec omnia acta sint, vel qualiter ad christianitatis nomen per virum suis temporibus sanctissimum, papam videlicet Gregorium, pervenerint. Nos vero coeptam historiae viam recurramus.

9. Post haec moritur Huga rex Francorum, nullumque alium heredem regni relinquens praeter unicam filiam nomine Amalbergam, quae nupserat Irminfrido regi Thuringorum. Populus autem Francorum, a seniore suo humane clementerque tractatus, pro gratiarum actione rependenda filium quem ex concubina genuit, nomine Thiadricum, ungunt sibi in regem[5]. Thiadricus autem designatus rex, mittere curavit legationem ad Irminfridum pro pace

1) cf. III, 54: *totum exercitum revocavit.* 2) Beda II, 15: *inito ad tempus foedere cum Pictis*; cf. Lappenberg p. 70. not. 4. 3) cf. Iordanis de rebus Geticis c. 2: *Britannia insula quae in sinu Oceani inter Hispanias Gallias et Germaniam sita est.* Mirum est, Widukindum veram nominis originem latitasse; Procopium et Gregorium papam primos novos Britanniae incolas omnes Anglos vocasse, Lappenberg monuit p. 88. 118. 4) Bedae histor. eccl. (II, 23.) 5) Haec omnia quam maxime a vero abhorrere, neminem fugiet; Theudericus rex Francorum cum tribus fratribus patri Chlodovecho successit; ipsum e concubina natum fuisse, etiam Gregorius Turonensis II. c. 28. tradit; de patris nomine Huga cf. Annal. Quedlinb. Monum. SS. III. p. 31. Amalberga, Irminfridi uxor, neptis fuit Theoderici Gothorum regis. Iordan. c. 58. cf. Procop. I, 14.

atque concordia; et ingressus legatus ad Irminfridum: *Mortalium*, inquit, *optimus maximus, dominus meus Thiadricus misit me ad te, exoptans te bene valere et lato magnoque diu imperio vigere, seque tibi non dominum sed amicum, non imperatorem sed propinquum, propinquitatisque iura inviolabiliter tibi fine tenus velle servare demandat; tantum ut a populi Francorum concordia non discordes rogat; ipsum namque sibi regem sequuntur constitutum.* Ad haec Irminfridus, iuxta quod regalem decuit dignitatem, clementer legato respondit, placita sibi placere populi Francorum, ab eorum concordia non discordare, pace omnimodis indigere, super negotio vero regni responsionem suam in amicorum praesentiam velle differre. Virumque honorifice tractans, fecit eum secum aliquamdiu manere. Audiens autem regina, legatum fratris supervenisse et locutum cum rege super negotio regni, suasit Iringo, ut pariter persuaderent viro, quia sibi regnum cessisset iure hereditario, utpote quae filia regis erat et filia reginae; Thiadricum vero suum servum, tamquam ex concubina natum, et ideo indecens fore, proprio servo umquam manus dare. Erat autem Iring vir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus consilio, pertinax in agendis rebus, facilis ad suadendum quae vellet, hisque rebus animum sibi Irminfridi connexerat. Convocatis principibus et necessariis amicis, Irminfridus verba legati in praesentiam eorum contulit; at illi unanimiter suadebant quae pacis atque concordiae sunt eum sentire, quia inpetus Francorum ferre non posset, maxime qui acrioribus hostium armis ex alia parte premeretur. Iring vero votis lascivae mulieris satisfaciens, suasit Irminfrido, Francis cedere non debere, super negotio regni iustiorem causam se habere, latum praeterea imperium, militum manus et arma caeterasque belli copias sibi

ac Thiadrico parum procedere[1]. Secundum haec verba Irminfridus respondit legato, amicitiam quidem sui et propinquitatem Thiadrico non negare, mirari tamen non posse, quomodo usurpare vellet prius imperium, quam libertatem; servum natum, et quomodo sui quaereret dominium? Proprio servo non posse manus dare. Legatus contra haec satis commotus: *Mallem*, inquit, *hoc caput meum tibi tradere, quam huiuscemodi verba a te audire, sciens ea multo sanguine Francorum atque Thuringorum deluenda.* Et haec dicens reversus est ad Thiadricum; quae audivit non celat. Thiadricus autem nimiam iram vultu celans sereno: *Oportet nos*, inquit, *ad servitium Irminfridi festinare, quatinus qui libertate privamur, inani saltem vita fruamur.* Et cum gravi exercitu appropians terminis Thuringorum, invenit cum valida quoque manu generum[2] suum se expectantem in loco qui dicitur Runibergun[3]; et commisso certamine pugnatum est ancipiti bello una die et secunda; tertia vero die victus Irminfridus cessit Thiadrico, et fugiens tandem se recepit cum reliquo comitatu in urbe quae dicitur Scithingi[4], sita super fluvium quod dicitur Unstrode. Thiadricus autem, congregatis ducibus ac militum principibus, exercitus sui rogat sententiam, utrumnam censerent Irminfridum persequendum, an patriam remeandum. Inter quos Waldricus consultus: *Censeo*, inquit, *causa caesos sepeliendi, vulneratos curandi, maiorem exercitum congregandi,*

1) i. e. parum inter se differre, cf. II. c. 10. 2) generum a Widukindo saepissime pro sororio dici, iam Meibomius annotavit, cf. I. c. 22. II. c. 18. et saepius. Interdum etiam latiori sensu eodem verbo utitur, cf. I. c. 39. II. c. 2. 3) hodie Ronneberg. MEIBOM. — Ronneberg villa, hora et dimidia ab Hannovera inter meridiem et occidentem distans, in pago Marstem, mallo antiquo celebris; v. Annal. Quedlinburg. l. l. p. 32. PERTZ. 4) hodie Burg-Scheidungen. Thuringos a Theuderico rege victos usque ad Unstrud fluvium fugatos esse, etiam Gregor. Turon. III. c. 7. narrat.

patriam remeandum; neque enim arbitror, multis milibus tuorum amissis, sufficere nos posse ad peragendum praesens bellum. Si enim barbarae nationes innumerae in nos consurgunt, multis nostrorum debilitatis, per quos vincis? Erat autem Thiadrico servus satis ingeniosus, cuius consilium expertus est saepius probum, eique propterea quadam familiaritate coniunctus. Hic rogatus sententiam dare: *In rebus*, inquit, *honestis pulcherrimam semper esse arbitror perseverantiam, quam ita coluerunt maiores nostri, ut acceptis negotiis raro vel numquam deficerent; nec tamen labores nostros eorum aequandos putaverim, qui parvis copiis ingentes gentium copias superaverunt. Nunc terra in nostra est potestate, et discessione nostra victis occasionem vincendi praestabimus? Amplecterer et ipse patriam redire, familiarem necessitudinem videre, si hostem nostrum eo spatio scirem otio vacare. Sed vulnerati nostri forsitan hac re indigent. Castrorum esto labor; inpigris animis, reor, pro maxima voluptate est. Ergo caesa multitudine exercitus est vehementer attenuatus. Hostesne omnes evaserunt? certe rarissimus; ipse namque dux ut quaedam bestiola suo munitur latibulo, urbis circumdatur claustro, nec ipsum coelum secure audet inspicere, nostro cogente timore. Sed non desunt ei pecuniae, quibus conducantur nationes barbarae; non deest militum manus, licet lassa. Quae tamen omnia nostra absentia redintegrantur. Indecorum est victoribus, victis vincendi locum dare. Num singulis urbibus administranda sufficimus praesidia? Et eas omnes perdimus, dum imus et redimus.* Haec eo prosequente, placuit Thiadrico omnibusque gloria victoriae avidis, manere in castris et mittere ad Saxones, qui iam olim erant Thuringis acerrimi hostes, quatinus ei essent in auxilio: si quidem vincerent Irminfridum urbem-

que caperent, terram eis in possessionem aeternam traderet. Saxones nichil cunctati, novem duces cum singulis milibus militum destinare non dubitant. Et ingressi duces in castra singuli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra castra dimissa, salutant Thiadricum verbis pacificis. Quod cum Thiadricus hilarior suscepisset, dextris datis et acceptis, copiam viris fandi concessit. At illi: *Populus*, aiunt, *Saxonum tibi devotus et tuis parens imperiis, misit nos ad te; et ecce assumus, parati ad omne quodcumque tibi voluntas suggesserit, parati, ut aut hostes tuos vincamus, aut, si fortuna aliud iusserit, pro te moriamur; aliam enim causam nullam Saxonibus esse scias, nisi vincere velle, aut certe vivere nolle; neque enim gratiam maiorem amicis exhibere possumus, quam ut pro eis mortem contempnamus; et ut hoc experimento discas, omnino desideramus.* Illis haec loquentibus, mirati sunt Franci praestantes corpore et animo viros; mirati sunt et novum habitum, arma quoque et diffusos scapulas caesarie, et supra omnia ingentem animi constantiam. Nam vestiti erant sagis, et armati longis lanceis, et subnixi stabant parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos. Erant etiam qui dicerent, tantis ac talibus amicis Francos non indigere; indomitum genus hominum fore, et si praesentem terram inhabitarent, eos procul dubio esse, qui Francorum imperium quandoque destruerent. Thiadricus vero, propriis utilitatibus consulens, suscepit in fide viros, demandans ut ad obpugnandam urbem praepararentur. Illi a rege regressi, castra metati sunt ad meridianam plagam urbis in pratis fluvio contiguis; et postera die prima luce surgentes, sumptis armis, obpugnant oppidum[1] incenduntque. Capto oppido et incenso,

1) Oppidum aedificia significat extra murum sita, nullo munimine tuta, ideoque plerumque primo impetu capta, cf. III, 45.

aciem ordinant ex adverso portae orientalis. Clausi muris dum acies vident ordinatas, ac se in ultimis necessitatibus constitutos, audacter erumpunt portis caecoque furore irruunt in adversarios, et telis emissis, gladiis proinde res agitur. Cumque grave bellum oriretur, plures hinc, plures inde sternuntur; istis pro patria, pro uxoribus ac natis, postremo pro ipsa vita pugnantibus, Saxonibus vero pro gloria et pro terra adquirenda certantibus. Attollitur clamor virorum invicem exhortantium, fragor armorum et gemitus morientium, talique spectaculo tota dies illa trahitur. Cumque ubique fierent caedes, ubique ululatus, et neuter agmen loco cessisset, iam tardior hora proelium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi sauciati; de Saxonibus vero numerati sunt sex milia caesa.

10. Mittitur igitur Iring ab Irminfrido, cum supplici legatione et omnibus suis thesauris ad Thiadricum pro pace ac spontanea deditione. Et accedens Iring haec ait: *Misit tibi quondam tuus propinquus, modo servus, ut si non sui miserearis, miserae saltem tuae sororis miserearis, nepotum quoque tuorum in ultima necessitate constitutorum.* Dum haec lacrimans dixisset, interpellatio principum auro corruptorum adiecit, quia decens foret clementiae regali, quo talem supplicationem non sperneret, communium quoque naturae rerum non oblivisceretur, utiliusque esset, eum in fide suscipere, quem iam superatum haberet tamque contritum, ut numquam se contra eum possit levare, quam illud genus hominum indomabile et ad omnem laborem perdurabile, a quo nichil expectaret Francorum imperium nisi solum periculum. In peracto quoque bello considerare posset, quam duri et insuperabiles existerent Saxones, ideoque melius esse, ut susceptis Thuringis pariter eos eicerent de finibus suis. His dictis, licet invitus, flectitur tamen

Thiadricus, promisitque postera die generum suum se suscepturum Saxonesque abiecturum. His auditis, Iring vestigiis prosternitur regis, laudavitque sententiam clementiae imperialis, et misso ad dominum optato nuntio, laetum eum omnemque urbem securiorem reddidit, mansitque ipse in castris, ne quid adversi nox ipsa moliretur. Interea urbe ex pace promissa securiore reddita, egressus est quidam cum accipitre, victum quaeritans supra litus fluvii supradicti. Emisso vero volucre, quidam ex Saxonibus in ulteriore ripa ilico eum suscepit. Quo rogante, ut remitteretur, Saxo dare negavit. Ille autem: *Da*, inquit, *et secretum tibi sociisque utile prodam*. Saxo econtra: *Dic, ut accipias quod quaeris. Reges*, inquit, *inter se pace facta decretum tenent, si cras inveniamini in castris, capiamini, aut certe occidamini*. Ad haec ille: *Serione haec an ludo ais? — Secunda hora*, ait, *sequentis diei probabit, quia vos oporteat sine ludis agere. Quapropter consulite vobis ipsis, et fuga salutem quaerite.* Saxo statim emittens accipitrem, sociis retulit quae audivit. Illi satis commoti, in promptu non inveniebant, quid super hoc agere debuissent.

11. Erat autem tunc in castris quidam de veteranis militibus iam senior, sed viridi senectute adhuc vigens, qui merito bonarum virtutum pater patrum dicebatur, nomine Hathagat[1]. Hic arripiens signum quod apud eos habebatur sacrum, leonis atque draconis et desuper aquilae volantis insignitum effigie, quo ostentaret fortitudinis atque prudentiae et earum rerum efficatiam, et motu corporis animi constantiam declarans, ait: *Huc usque inter optimos Saxones vixi, et ad hanc fere ultimam senectutem aetas me perduxit, et numquam Saxones meos fugere vidi; et quomodo nunc cogor agere quod numquam didici? Certare scio, fugere ignoro, nec valeo; si*

1) Eum tunc Saxonum ducem fuisse, Ruodolfus dicit l. l.

fata non sinunt ultra vivere, liceat saltem, quod michi dulcissimum est, cum amicis occumbere. Exempli michi paternae virtutis sunt amicorum corpora circa nos prostrata, qui maluerunt mori quam vinci, inpigras animas amittere quam coram inimicis loco cedere. Sed quid necesse habeo exhortationem protrahere tantisper de contemptu mortis? Ecce ad securos ibimus, ad caedem tantum, non ad pugnam; nam de promissa pace ac nostro gravi vulnere nichil suspicantur adversi; hodierno quoque proelio fatigati, quemadmodum sunt sine metu, sine vigiliis et solita custodia manent. Irruamus igitur super inprovisos et somno sepultos; parum laboris est! Sequimini me ducem, et hoc canum caput meum vobis trado, si non evenerit quod dico. Illius igitur optimis verbis erecti, quod supererat diei in reficiendis suis corporibus expendebant; deinde prima vigilia noctis dato signo, qua solet sopor gravior occupare mortales, sumptis armis, praecedente duce, irruunt super muros, invenientesque sine vigiliis ac custodiis, ingressi sunt urbem cum clamore valido. Quo excitati adversarii, alii fuga salutem quaesierunt, alii per plateas et muros urbis ut ebrii erraverunt, alii in Saxones, cives suos putantes, inciderunt. Illi vero omnes perfectae aetatis morti tradiderunt, inpuberes praedae servaverunt. Eratque nox illa plena clamoribus, caede atque rapina, nullusque locus in omni urbe quietus, donec aurora rutilans surgit, et incruentam declarat victoriam. Cumque penes regem, videlicet Irminfridum, summa victoria esset, requisitus, cum uxore ac filiis ac raro comitatu evasisse repertus est.

12. Mane autem facto ad orientalem portam ponunt aquilam, aramque victoriae construentes, secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt; nomine Martem, effigie columpnarum imitantes Herculem, loco Solem, quem

Graeci appellant Apollinem[1]. Ex hoc apparet aestimationem illorum utcumque probabilem, qui Saxones originem duxisse putant de Graecis, quia Hirmin vel Hermis graece Mars dicitur; quo vocabulo ad laudem vel ad vituperationem usque hodie etiam ignorantes utimur[2]. Per triduum igitur dies victoriae agentes et spolia hostium dividentes exequiasque caesorum celebrantes, laudibus ducem in coelum attollunt, divinum ei animum inesse coelestemque virtutem acclamantes, qui sua constantia tantam eos egerit perficere victoriam. Acta sunt autem haec omnia, ut maiorum memoria prodit, die Kal. Octobris, qui dies erroris religiosorum sanctione virorum mutati sunt in ieiunia et orationes, oblationes quoque omnium nos praecedentium christianorum[3].

1) Hoc loco verba V. clarissimi I. Grimm litteris mecum communicata affero: *Widukind sagt also: der Sächsische Hirmin bedeutet dem namen nach den Mars (d. i. den Mercur), dem bilde nach den Hercules (weil er heldenmässig gerüstet erscheint, wie Wuotan in der regel nicht), dem orte der aufrichtung nach die Sonne; das kann, wie Sie selbst schon anmerken, bloss auf die orientalis porta bezogen werden.* — Locum, Ruodolfi sententia de Irminsula (Mon. SS. II, 676.) allata, ita explicaverim: in construenda ara victoriae deos suos veneratione cuilibet eorum propria venerati sunt, scilicet Martem nomine eius i. e. Irmin arae imposito, Herculem forma eius effigie columnarum (bild-säule) imitata, columna lignea in altum erecta quae Herculis signum quodammodo exprimeret, Solem loco arae ad portam orientalem selecto. Ea Widukindi sententia; narrat itaque, Saxones in signum victoriae ad portam Schidingae orientalem aram Irminsul erexisse. Hinc et loco Taciti Ann. I, 61: *truncis arborum antefixa ora; lucis propinquis barbarae arae apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant* lux affunditur. PERTZ. 2) Mihi relativum ad Mars referendum esse videtur, quo vocabulo ignorantes — nam Hirmin minime ignorabant — Saxones lingua sua ad laudem in voce *mâri, mâr,* clarus, ad vituperationem in voce incubum significante *mara* et compositis earum utebantur. PERTZ. 3) Inde a dominica proxima post festum Michaelis incipit hebdomas illa *die gemeine Wochen*, cuius vestigia usque ad s. XVI. et ultra inveniuntur, quamque etiam chron. vetus ducum Brunsw. Leibn. II. p. 16. cum hac Saxonum victoria coniunxit. Plura de eo testimonia collegit Halthaus calend. medii aevi p. 131. Iisdem diebus etiam festum Cisae deae Suevicae celebratum esse, Grimm annotavit Myth. pag. 188.

13. His itaque omnibus patratis, reversi sunt ad Thiadricum in castra, et ab eo suscepti satisque laudati, et terra praesenti in aeternam possessionem donati sunt. Socii quoque Francorum et amici appellati, urbem, cui ab igne ut propriis moeniis pepercere, primum incoluerunt. Qui autem finis reges secutus sit, quia memorabilis fama est, prodere non negligo. Missus denique Iring ad Thiadricum eo die, quo capta est civitas, proxima nocte susceptus ab eo permansit in castris. Audito autem, quia elapsus esset Irminfridus, egit, ut dolo revocaretur, et Iring eum interficeret, tamquam claris muneribus ab ipso donandus ac magna potestate in regno honorandus, ipse vero Thiadricus caedis illius quasi alienus existeret. Quod cum Iring aegre suscepisset, falsis promissionibus corruptus, tandem cessit seque parere voluntati illius confessus est. Revocatus itaque Irminfridus, prosternitur vestigiis Thiadrici. Iring vero, tamquam armiger regalis stans secus evaginato gladio, prostratum dominum trucidavit. Statimque ad eum rex: *Tali facinore omnibus mortalibus odiosus factus, dominum tuum interficiendo, viam habeto apertam a nobis discedendi; sortem vel partem tuae nequitiae nolumus habere. Merito*, inquit Iring, *odiosus omnibus mortalibus factus sum, quia tuis parui dolis; antequam tamen exeam, purgabo hoc scelus meum vindicando dominum meum.* Et ut evaginato gladio stetit, ipsum quoque Thiadricum obtruncavit, sumensque corpus domini, posuit super cadaver Thiadrici, ut vinceret saltem mortuus, qui vincebatur vivus; viamque ferro faciens discessit. Si qua fides his dictis adhibeatur, penes lectorem est. Mirari tamen non possumus, in tantum famam praevaluisse, ut Iringis nomine, quem ita vocitant, lacteus coeli circulus usque in praesens sit notatus[1].

1) cf. Grimm Myth. p. 214 sqq.

14. Saxones igitur possessa terra summa pace quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsae gentis tributis condempnaverunt; unde usque hodie gens Saxonica triformi genere ac lege praeter conditionem servilem dividitur[1]. A tribus etiam principibus totius gentis ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contenti, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westfalos. Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes oboedire oportuit, ad administrandum inminens bellum. Quo peracto, aequo iure ac lege, propria contentus potestate unusquisque vivebat[2]. De legum vero varietate nostrum non est in hoc libello disserere, cum apud plures inveniatur lex Saxonica diligenter descripta. Suavi vero Transbadani[3] illam quam incolunt regionem eo tempore invaserunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adierunt, ut eorum narrat historia[4], et ideo aliis legibus quam Saxones utuntur[5]. Igitur Saxones variam fidem Francorum experti, de quibus nobis non est dicendum, cum in eorum gestis[6] inveniatur scriptum, paterno errore obligati usque ad tempora Karoli Magni perdurarunt.

15. Magnus vero Karolus cum esset regum for-

1) Saxones bello attenuatos terrae partem maxime orientalem colonis tradidisse, Ruodolfus narrat p. 675; postea quatuor gentis ordines affert, quarto loco servos ponens. 2) cf. Beda V. c. 11: *Non enim habent regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suae genti praepositos, qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur et huic obtemperant; peracto autem bello rursum aequalis potentiae omnes sunt satrapae.* 3) i. e. Suevi trans Badam (Bode) in pago Suevego habitantes. 4) Paulus Diaconus II. c. 6. 5) Huius rei vestigia per totum medium aevum mansisse, ex Speculo Saxonum, quod dicunt, apparet, cf. Homeyer Index s. v. *Schwabe* p. 372. 6) Fortasse Einhardi libri, Karoli vita et Annales, ex quibus quae sequuntur hausta possunt videri.

tissimus, non minori sapientia vigilabat. Enimvero considerabat, quia suis temporibus omni mortali prudentior erat, finitimam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere; modis omnibus satagebat, quatinus ad viam veram duceretur, et nunc blanda suasione, nunc bellorum inpetu ad id cogebat, tandemque tricesimo imperii sui anno obtinuit; imperator quippe ex rege creatus est, quod multis temporibus elaborando non defecit. Ob id qui olim socii et amici erant Francorum, iam fratres et quasi una gens ex christiana fide, veluti modo videmus, facta est.

16. Ultimus vero Karolorum apud orientales Francos imperantium Hluthowicus ex Arnulfo fratruele Karoli, huius Lotharii regis proavi[1], natus erat. Qui[2] cum accepisset uxorem nomine Liudgardam, sororem Brunonis ac magni ducis Oddonis, non multis post haec vixerat annis. Horum pater erat Liudulfus, qui Romam profectus transtulit reliquias beati Innocentii papae[3]. Ex quibus Brûn cum ducatum administrasset totius Saxoniae, duxit exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi,
periit cum omni exercitu[4], fratri natu quidem 880.
minori, sed omni virtute multo potiori, relinquens ducatum. Regi autem Hluthowico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum[5] quaerebat Oddoni diadema inponere regni. Ipse
vero quasi iam gravior[6] recusabat imperii onus; 911.

1) Lotharius inde ab a. 954 rex Francorum occidentalium; Widukindus vero eius abavum (non proavum) Karolum Calvum et Karolum Crassum Arnulfi patruum inter se confundit, cf. c. 28. 2) Non Ludowicum Arnulfi filium, sed Ludowicum quem dicunt iuniorem, Ludowici Germanici filium, Pii nepotem, Liudgardam duxisse, iam Meibomius satis probavit. 3) De hac translatione cf. Agius vita Hathumodae cap. 1, Hrotsuith de coenob. Gandersh. v. 118 sqq.; Wedekind (Noten I. p. 159 sqq.) eam a. 844 factam esse ostendit. 4) cf. Ann. Fuldenses a. 880. 5) cf. I. c. 26; II. c. 1. 6) Iam

eius tamen consultu Conradus quondam dux Francorum unguitur in regem; penes Oddonem tamen summum semper et ubique fiebat imperium.

17. Natus est autem ei filius toto mundo necessarius, regum maximus optimus, Heinricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia[1]. Qui cum primaeva aetate omni genere virtutum vitam suam ornaret, de die in diem proficiebat praecellenti prudentia et omnium bonorum actuum gloria; nam maximum ei ab adolescentia studium erat in glorificando gentem suam et pacem confirmando in omni potestate sua. Pater autem videns prudentiam adolescentis et consilii magnitudinem, reliquit ei exercitum et militiam adversus Dalamantiam[2], contra quos diu ipse militavit. Dalamanci vero inpetum illius ferre non valentes,
906. conduxerunt adversus eum Avares, quos modo Ungarios vocamus, gentem belli asperrimam.

18. Avares autem, ut quidam putant, reliquiae erant Hunorum. Huni egressi sunt de Gothis, Gothi autem de insula, ut Iordanis narrat[3], nomine Sulza, egressi sunt. A proprio autem duce, nomine Gotha, Gothi appellati sunt. Coram quo cum quaedam mulieres in exercitu suo rerum veneficarum arguerentur, requisitae sunt et inventae culpabiles. Quarum cum esset multitudo, a merita quidem poena abstinuit, ab exercitu tamen omnes eiecit. Eiectae autem silvam proximam petierunt; quae cum mari cingeretur et Meoticis paludibus, inde exeundi aditus non patebat. Praegnantes autem iam quaedam ex illis ibidem partum edide-

a. 866 ante quadraginta sex annos pater eius Liudulfus mortuus est, v. Ann. Xantenses h. a. 1) Haec verba ex alio Widukindi loco (I. c. 34.) interpretanda esse, iam Meibomius intellexit; Heinricus primus ita Saxoniam rexit, ut omni alia potestate semota ipse rex et dux totum terrae imperium teneret. 2) prope Albiam in territorio Misnensi sita. 3) Iord. c. 3, qui insulam Scandzam appellat; quae sequuntur ex eodem c. 24 desumta sunt.

runt. A quibus cum alii atque alii nascerentur, facta est gens valida; ferarumque more viventes, inculti et indomiti, facti sunt venatores acerrimi. Post multa vero saecula, cum aliam mundi partem illic commorantes penitus ignorarent, contigit cervam venatu inveniri eamque persequi, donec ipsa praecedente, omnibus retro mortalibus intransmeabilem hactenus viam per Meoticas paludes transmearent; ibique urbes et oppida et invisum antea genus hominum videntes, eadem via reversi sunt, sociis talia referentes. Illi autem curiositatis causa cum multitudine perrexerunt audita probare. Finitimae autem urbes et oppida, cum ignotam multitudinem et corpora cultu habituque horrenda vidissent, daemonia esse credentes, fugiebant. Illi vero ad novas rerum facies stupentes, admirati, primum quidem a caede atque rapina abstinuerunt, sed nemine resistente, humana tacti cupidine, multa caede hominum facta, nulli rei proinde parcebant; et capta praeda magna, ad sedes suas reversi sunt. Videntes autem, quia res eis secus cederent, cum uxoribus ac filiis et omni agresti suppellectili iterum venientes, et finitimas gentes circumquaque vastantes, Pannoniam postremo inhabitare coeperunt.

19. Victi autem a magno Karolo et trans Danubium pulsi ac ingenti vallo circumclusi[1], prohibiti sunt a consueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo, destructum est opus, et via eis nocendi patefacta, eo quod iratus esset imperator Centupulcho regi Marorum. Deinde quantam stragem quantamque iniuriam imperio Francorum fecerint, urbes ac regiones adhuc desolatae testantur. Haec ideo de hac gente dicere arbitrati sumus, ut possit tua claritas agnoscere, cum qualibus avo tuo patrique certandum fuerit,

1) cf. Liudprand I. c. 13.

vel a quibus hostibus per eorum providentiae virtutem et armorum insignia tota iam fere Europa liberata sit.

20. Praedictus igitur exercitus Ungariorum a Slavis conductus, multa strage in Saxonia facta, et infinita capta praeda, Dalamantiam reversi, obvium invenerunt alium exercitum Ungariorum, qui comminati sunt bellum inferre amicis eorum, eo quod auxilia eorum sprevissent, dum illos ad tantam praedam duxissent. Unde factum est, ut secundo vastaretur Saxonia ab Ungariis, et priori exercitu in Dalamantia secundum expectante, ipsa quoque in tantam penuriae miseriam ducta sit, ut aliis nationibus eo anno, relicto proprio solo, pro annona servirent.

912. 21. Igitur patre patriae et magno duce Oddone defuncto, illustri et magnifico filio Heinrico totius Saxoniae reliquit ducatum. Cum autem ei essent et alii filii, Thancmarus et Liudulfus, ante patrem suum obierunt. Rex autem Conradus cum saepe expertus esset virtutem novi ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris[1]. Quo factum est, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude et gloria optimi ducis plura locutus, promisit se maiora sibi daturum, et honore magno glorificaturum. Saxones vero huiuscemodi simulationibus non attendebant, sed suadebant duci suo, ut si honore paterno eum nollet sponte honorare, rege invito, quae vellet obtinere posset. Rex autem videns vultum Saxonum erga se solito austeriorem, nec posse publico bello eorum ducem conterere, subpeditante illi fortium militum[2] manu, exercitus quo-

1) Thietmar (p. 6.): *hereditatem iure et maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere.* Conradus Thuringiae pagos a patre Ottone administratos novo duci denegasse videtur. 2) Milites Widukindo vasalli maiores sunt, cf. c. 22. II, 1.

que innumera multitudine, egit, ut quoquo modo interficeretur dolo.

22. Erat autem ea tempestate Magontiacae sedis antistes nomine Hatho, acutus consilio, acer ingenio, et qui varietate sibi consueta multos mortales praecederet. Hic volens placere regi Conrado Francorumque simul populo, arte solita virum nobis proprie a summa clementia concessum aggressus est, fecitque ei torquem auream fabricari, et invitavit ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex opus considerandi gratia ingreditur ad aurificem, et visa torque, ingemuisse fertur. Gemitus causam aurifex interrogat. Cui respondit, quia optimi viri et sibi carissimi, scilicet Heinrici, sanguine illa torques deberet intingui. Aurifex audita silentio texit, et opere perfecto traditoque, missionem petit et accipit; et obvians duci eunti ad ea negotia, indicavit ei quae audivit. Ipse autem vehementer iratus, vocat legatum pontificis qui iampridem aderat invitandi eum gratia: *Vade*, inquit, *dic Hathoni, quia durius collum non gerit Heinricus quam Adelberhtus, et quia melius rati sumus, domi sedere, et de eius servitio tractare, quam comitatus nostri multitudine modo eum gravare.* Is, ut ferunt, Adelberhtus, ab ipso quondam pontifice in fide susceptus, eius est consilio deceptus; quod quia non probamus, numquam adfirmamus, sed vulgi rumore magis fictum credimus. Et statim omnia quae iuris ipsius[1] erant in omni Saxonia vel Thuringorum terra occupavit. Burghardum quoque et Bardonem[2], quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, et bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent[3],

1) i. e. Hathonis. 2) Burchardum et Bardonem filios fuisse Burchardi ducis, a. 908 occisi, recte Wenk (hist. Hass. II. p. 545. n. e) statuisse videtur; uter gener i. e. sororius regis fuerit, non constat. 3) Comites illos in australi Thuringiae parte possessiones suas ha-

eorumque omnem possessionem militibus suis divideret. Hatho autem videns suis calliditatibus finem inpositum, nimia tristitia ac morbo pariter non post multos dies confectus interiit. Fuerunt
913. etiam, qui dicerent, quia fulmine coeli tactus
Mai. 15. eoque ictu dissolutus, diem postremum defecisset.

Codd. 2. 3. Ad hocque negocium habens, ut fertur, maxime idoneum Mogonciacae sedis episcopum, nomine Hathonem. Hic obscuro genere natus, ingenioque acutus, ut qui difficile discerneretur, melior consilio foret an peior. Quod ex uno eius actu colligi potest. Nam cum bellum esset Cuonrado, regis Cuonradi patri, et Adelberto [Heinrici ex sorore nepoti], primus interfectus est frater Adelberti; postea in ultionem fratris Cuonradus quoque occisus est ab Adelberto, nec ullus regum tam ingens bellum inter eminentes viros potuit sedare. Summus postremo pontifex mittitur ad sedandam tam ingentem discordiam; et ingressus civitatem Adelberti, sub iureiurando spospondit, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolumem loco suo restituturum. His pactis consentiens Adelbertus, fidei gratia et amicitiae quod dignaretur aliquid gustare, rogavit. Quo negante, ilico egressus est urbem. Cumque pertransisset oppidum cum omni comitatu, fertur clamasse: *Proh*, inquit, *saepius petit, qui oblata spernit; taedet me longioris viae tardiorisque horae; nam ieiuni tota die non possumus ambulare.* Laetus Adelbertus inclinatur ad genua pontificis, et ut gustandi gratia in urbem reverteretur deposcit. Pontifex in urbem reversus cum Adelberto, liberatur a lege iuramenti, ut sibi videbatur, eo quod incolumem eum loco suo constituisset. Post haec regi a pontifice praesentatus Ludwico et dampnatus, capitalem accepit sententiam. Hac igitur perfidia quid nequius? Attamen uno capite caeso, multorum capita populorum salvantur. Et quid melius eo consilio, quo discordia dissolveretur, et pax redderetur. Ea itaque varietate virum nobis *etc. ut codex* 1. *omissa tamen sententia:* Is ut ferunt Adelberhtus. . . . credimus. *usque* dissolutus post tertium diem defecisset.

Codex A. Denique ab amicis regiis ei insidiae machinantur. Quae tamen ab aurifice, torquem auream ad usus doli fabricante, deteguntur. Quidam enim insidias tenden-

buisse, iisque potitum, totam Thuringiam Heinricum inde ab hoc tempore tenuisse, verisimile est.

tium ingressus ad aurificem opus considerandi gratia, eoque inspecto, altius ingemuisse fertur. Tanti gemitus causam dum faber interrogat, hoc responsi accepit, quia optimi viri Heinrici post modicum deberet illa torques sanguine infundi. Audita faber tanquam parvipendens silentio texit. Opere perfecto traditoque, missionem petit et accepit, occurrensque duci iuxta locum qui dicitur Cassala, secreto interrogat, quo iturus esset. Ille se ad convivium munusque honorificum invitatum, et ad hoc ire velle respondit. Aurifex ilico audita prodit et ducem ab itinere prohibuit. Vocat autem legatum qui ea hora invitandi eum gratia aderat, imperatque suis dominis gratias agere pro fideli invitatione, non posse vero in praesenti eos visitare propter repentinas barbarorum incursiones; ceterum in sui servitio incunctanter permansurum. Ad orientem autem versus cum suo comitatu, collecta manu, omnia quae erant pontificis qui eo tempore Maguntiae praeerat, Hathonis, in omni Saxonia vel Thuringorum terra occupavit. Burchardum quoque et Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit et bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent, eorumque omnem possessionem suis militibus divideret. Hatho autem videns suis artibus finem impositum, Saxonumque res florescere, nimia tristitia ac morbo pariter confectus, non post multos dies deficiens, diem extremum obiit, vir magnae prudentiae, et qui tempore Ludewici adolescentis super imperio Francorum acri cura vigilabat, multas discordias in regno reconciliabat, templum Maguntiae nobili structura illustrabat.

23. Rex autem misit fratrem cum exercitu in 915.
Saxoniam eam devastandam. Qui appropians urbi quae dicitur Heresburg, superbe locutum tradunt, quia nichil ei maioris curae esset, quam quod Saxones pro muris se ostendere non auderent, quo cum eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore eius erat, et ecce Saxones ei occurrerunt miliario uno ab urbe, et inito certamine, tanta caede Francos mulctati sunt, ut a mimis declamaretur, ubi tantus ille infernus esset, qui tantam multitudinem caesorum capere posset. Frater autem regis Evurhardus, liberatus a timore absentiae Saxonum — nam eos praesentes vidit — et ab ipsis turpiter fugatus, discessit.

24. Audiens autem rex male pugnatum a fratre, congregata omni virtute Francorum, perrexit ad requirendum Heinricum. Quem compertum in praesidio urbis quae dicitur Grona[1], temptavit illud obpugnare praesidium. Et missa legatione pro spontanea deditione, spondet, se per hoc sibi amicum affuturum, non hostem experturum. Huic legationi intervenit Thiadmarus ab Oriente[2], vir disciplinae militaris peritissimus, varius consilioque magnus, et qui calliditate ingenita multos mortales superaret. Hic superveniens legatis regis praesentibus, interrogat, ubi vellet exercitum castra metari. At ille iam suasus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita esse. Thiadmarus vero ficte loquebatur; cum quinque enim tantummodo viris venerat. De numero autem legionum sciscitante duce, ad triginta fere legiones se producere, respondit; et ita delusi legati regressi sunt ad regem. Vicit vero eos calliditate sua Thiadmarus, quos ipse dux ferro vincere non potuit Heinricus. Nam antelucanum relictis castris Franci, unusquisque rediit in sua.

918. 25. Rex autem profectus in Boioariam, dimicavit cum Arnulfo, et ibi, ut quidam tradunt, vulneratus, revertitur in patriam suam. Cumque se morbo sensisset laborare pariter cum defectione primae fortunae, vocat fratrem, qui eum visitandi gratia aderat, quemque ita alloquitur: *Sentio*, inquit, *frater, diutius me istam vitam tenere non posse, Deo, qui ordinavit ita, imperante, gravique morbo id cogente. Quapropter considerationem tui habeto, et quod ad te maxime respicit, Francorum toto regno consulito, mei adtendendo, fratris tui, consilio. Sunt nobis, frater, copiae exerci-*

1) Grona villa prope Gottingam. 2) comes pagi Nordthuringowe, Heinrico rege inter primores Saxoniae, cf. c. 36. Quae vero de ipso hoc loco traduntur, vix historiae conveniunt.

tus congregandi atque ducendi, sunt urbes et arma cum regalibus insigniis, et omne quod decus regium deposcit, praeter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit, rerum publicarum secus Saxones summa est. Sumptis igitur his insigniis, lancea sacra, armillis aureis cum clamide, et veterum gladio regum ac diademate, ito ad Heinricum, facito pacem cum eo, ut eum foederatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? ipse enim vere rex erit et imperator multorum populorum. His dictis frater lacrimans se consentire respondit. Post haec autem rex ipse moritur, vir fortis et potens, domi militiaque optimus, largitate serenus, et omnium virtutum insigniis clarus; sepeliturque in civitate sua Wilinaburg [1] cum moerore ac lacrimis omnium Francorum.

26. Ut ergo rex imperarat, Evurhardus adiit Heinricum, seque cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus et natu maioribus exer-
citus Francorum in loco qui dicitur Fridisleri [2], 919.
designavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur unctio cum diademate a summo pontifice, qui eo tempore Hirigerus erat [3], non sprevit, nec tamen suscepit: *Satis*, inquiens, *michi est, ut prae maioribus meis rex dicar et designer, divina annuente gratia ac vestra pietate; penes meliores vero nobis unctio et diadema sit; tanto honore nos indignos arbitramur.* Placuit itaque sermo iste coram universa multitudine, et dextris in coelum le-

1) Weilburg. 2) Fritzlar. 3) archiepiscopus Moguntinus, successor Hathonis.

vatis, nomen novi regis cum clamore valido salutantes frequentabant.

920. 27. Eo ordine rex factus Heinricus, perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra Burghardum ducem Alamanniae. Hic cum esset bellator intolerabilis, sentiebat tamen, quia valde prudens erat, congressionem regis sustinere non posse, tradidit semet ipsum ei cum universis urbibus et populo suo. Et rebus prospere gestis, transiit inde in Boioariam, cui praesidebat Arnulfus dux. Quo comperto in praesidio urbis quae dicitur Raginesburg, obsedit eum. Videns autem Arnulfus, quia resistere regi non sufficeret, apertis portis, egressus est ad regem, tradito semet ipso cum omni regno suo. Qui honorifice ab eo susceptus, amicus regis appellatus est. Rex autem de die in diem proficiens et crescens, robustior maiorque ac clarior pollebat. Cumque regnum sub antecessoribus suis ex omni parte confusum civilibus atque externis bellis colligeret pacificaret et adunaret, signa movit contra Galliam et Lotharii regnum.

28. Lotharius enim erat filius Hluthowici imperatoris, a magno Karolo nati; huic erant fratres Karolus et Hluthowicus. Karolo Aequitaniae et Wascanorum cessere regiones, terminum habens ab occidente Barcillonam, Hispaniae urbem, ab aquilone Brittannicum mare et ad meridiem iuga Alpium, ad orientem vero Masam fluvium. Inter Masam vero fluvium et Renum Lothario regnum cessit. Hluthowico autem a Reno usque ad fines Illirici et Pannoniae, Adoram [1] quoque fluvium et terminos Danorum imperium erat. Sub his fratribus bellum famosum actum est in Phontinith, antequam haec divisio regni fieret. Postea vero facta inviolabiliter mansit, quousque iure hereditario haec regna omnia cederent Karolo [2], hu-

1) Oder. 2) Noster aeque ac Liudprandus Antap. I, 5. 14. Karo-

ius Lotharii proavo, de quo supra mentionem fecimus.

29. Hunc quidam ex orientalibus Francis adiens, nomine Oda, vir fortis et prudens, egitque consilio suo, ut cum Danis bene pugnaretur, qui iam multis annis Karoli regnum vexabant, unaque die ex eis ad centum milia caederentur[1]. Ex hoc ille Oda clarus et insignis habitus et a rege secundus significatus, cum ad eum venerit uno tantum servulo comite contentus. Moriens autem Karolus, iussit Odonem memorem beneficii sui fore, et misericordiam sibi praestitam filio, si nasceretur, non negaret. Nam filius ei tunc non erat, sed regina praegnans fuit; cumque post mortem patris filius nasceretur, Oda eum et regno pariter et nomine paterno declaravit. Sed Arnulfus imperator, qui seniorem[2] Karolum Germania expulit, post mortem eius omne regnum ipsius sibi vendicavit. Huic Oda et diadema et sceptrum et caetera regalia ornamenta obtulit, imperiumque domini sui gratia imperatoris Arnulfi obtinuit. Unde usque hodie certamen est de regno Karolorum stirpi et posteris Odonis, concertatio quoque regibus Karolorum et orientalium Francorum super regno Lotharii.

30. Ob quod Heinricus rex movit castra con- 923.
tra Karolum, eiusque saepius fudit exercitum, iuvitque virum fortem fortuna. Nam Huga, cuius pater Rodberhtus, filius[3] Odonis, ab exercitu Karoli occisus est, misit, et dolo eum cepit[4], posuitque in custodia publica, donec vitam finiret. Heinricus autem rex audiens casum Karoli, dolebat, humanaeque mutabilitatis communem admiratus est

los duos Calvum et Crassum pro uno habuit, et pro filio eius Karolum Simplicem, Hludowici Balbi posthumum. PERTZ. 1) Quae de Odone et Karolo Simplice tradit omnino falsa sunt. 2) i. e. Karolum Crassum; sed de eodem Widukindus iam antea dixit. 3) frater. 4) Heribertus Karolum captum tenuit.

fortunam, quia non minori claruit religiositate quam armorum virtute. Iudicavitque abstinere quidem ab armis, verum potius arte superaturos speravit Lotharios, quia gens varia erat et artibus assueta, bellis prompta mobilisque ad rerum novitates. Eo tempore erat quidam de Lothariis nomine Cristianus, qui videns regi cuncta prospere procedere, quaesivit, quomodo maiori gratia apud regem honoraretur; et simulata infirmitate, vocavit ad se Isilberhtum, cui principatus regionis paterna successione cessit[1], cepitque eum arte, et sub custodia regi Heinrico transmisit. Erat autem Isilberhtus nobili genere ac familia antiqua natus. Quem rex satis laetus suscepit, quia per ipsum solum totum Lotharii regnum se habiturum arbitratus est. Deinde videns adolescentem valde industrium, genere ac potestate, divitiis quoque clarum, liberaliter eum coepit habere, ac postremo desponsata sibi filia, nomine Gerberga, affinitate pariter cum amicitia iunxit eum sibi, sublegato omni ei Lotharii regno.

31. Genuit quoque ei et alios filios clara et nobilissima ac singularis prudentiae regina, nomine Mahthilda, primogenitum mundi amorem, nomine Oddonem, secundum patris nomine insignitum, virum fortem et industrium Heinricum, tertium quoque nomine Brunonem, quem pontificis summi ac ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem super hoc dixerit, cum Samuhelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et iudices. Aliam quoque genuit[2] filiam, quae nupserat Hugoni duci. Erat namque ipsa domina regina filia Thiadrici, cuius fratres erant Widukind, Immed et Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra

1) Gisilbertus patre Reginario mortuo Lothariorum princeps fuit et dux. 2) Glaber Rodulfus hist. l. I. c. 4. Hadvideu vocat.

Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum diem; et hi erant stirpis magni ducis Widukindi, qui bellum potens gessit contra magnum Karolum per triginta ferme annos.

32. Cumque iam civilia bella cessarent, ite- 924.
rum Ungarii totam Saxoniam percurrentes, urbes et oppida incendio tradiderunt, et tantam caedem ubique egerunt, ut ultimam depopulationem comminarent. Rex autem erat in praesidio urbis quae dicitur Werlaon[1]. Nam rudi adhuc militi et bello publico insueto contra tam saevam gentem non credebat. Quantam autem stragem fecerint illis diebus, aut quanta monasteria succenderint, melius iudicavimus silere, quam calamitates nostras verbis quoque iterare. Contigit autem, quendam ex principibus Ungariorum capi vinctumque ad regem duci. Ungarii vero ipsum in tantum dilexerunt, ut pro redemptione illius innumera auri et argenti pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem, tandemque obtinuit, ut reddito captivo cum aliis muneribus, ad novem annos pax firmaretur.

33. Quando vero rex Renum transierat ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei legatus Karoli, et salutato eo verbis humillimis: *Dominus meus*, inquit, *Karolus, regia quondam potestate praeditus, modo privatus, misit me ad te demandans, quia nichil ei ab inimicis circumvento iocundius, nichil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei et veritatis transmisit;* protulitque de sinu manum pretiosi martiris Dyonisii, auro gem-

1) Burgdorf prope Goslariam. PERTZ.

misque inclusam. *Hoc*, inquit, *habeto pignus foederis perpetui et amoris vicarii. Hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium, postquam nos deseruit insignis martir Vitus ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem Saxoniam visitavit, communicare tecum maluit. Neque enim postquam translatum est corpus eius a nobis, civilia vel externa cessavere bella; eodem quippe anno Dani et Northmanni regionem nostram invaserunt*[1]. Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur reliquiis sanctis, et deosculans eas, summa veneratione veneratus est.

34. Inclitus vero martir, de quo legatus Karoli disseruit, erat in Licia provincia nobili natus familia, sed pagana. Quem pater praesidi provinciae Valeriano praesentavit, eumque ipse praeses ad inmolandum simulacris coegit; sed interea manum perdidit, et oratione ipsius iterum sanam recepit. Brachia tortoribus aruerunt, sed meritis martiris restituta sunt eis. Videns autem pater, quia tormenta irrisit, domum reduxit, cubiculo omnibus deliciis affluenti reclusit. Ibi cum archana quaedam Hylas — sic enim vocabatur pater eius — conspiceret, caecus efficitur. Et coactus idolis abrenunciavit, Christum confessus est. Illuminatus autem per merita filii sui Viti, Christum negavit, et filium interficere quaesivit. Monitu angelico atque ductu Modestus, iam gravior paedagogus, puerum sumit, mare navigat, ad Siler fluvium pervenit. Ibi sub arbore quadam requiescentes, vacant orationibus, aquilis victum cotidianum ministrantibus. Populis eum visitantibus puer praedicat Christum,

1) Translatio S. Viti a. 836 facta est; et inde ab annis 834 et 836 Nordmannorum incursiones revera increbuerunt. 2) Hanc sancti vitam Wid. ex passione ipsius saec. VI. aut VII. scripta hausit, quam vide in Actis SS. Boll. Iun. Vol. II. (die 15.) p. 1021 sqq.

plures convertit, plures baptismum suscipere fecit. Post haec a Diocletiano caesare vocatus Romam proficiscitur, et filio imperatoris per orationem Viti a daemonio purgato, thura diis offerre cogitur. Illi vero durius imperatori respondente, bestiis proicitur, nec laeditur. Deinde in medium clibani ardentis iactatur, et angelo flammas sedante, illaesus egreditur. Vinculorum ingenti ferro oneratus carceri traditur, sed ibi a Domino et multitudine angelorum visitatur. Postremo tormento quod catasta dicitur cum Modesto et quadam nobili femina Crescentia figitur, et fractis omnibus membrorum motibus, a Christo consolatur. Nam fulmine coeli tortores tacti et tonitru ingenti perterriti, ab eo fugantur; subitoque repertus est in loco, ubi prius orationi vacabat, angelo Domini ibi eum restituente, et ultima oratione celebrata, animas coelo tradiderunt. Corpora vero Florentia, quaedam illustris femina, terrae tradidit in eodem loco, qui dicitur Marianus. Eius ultimam orationem tuae gloriae significare curavi, ut inde sumas, quo eius amore ardeas, et ardore ipsius amoris perpetuum eius patrocinium merearis. *Domine*, inquit, *Iesu Christe, fili Dei vivi, perfice desiderium cordis eorum, et libera eos ab omnibus inpedimentis huius saeculi, et perduc eos ad gloriam tuam, qui pro me glorificant te, et volunt gloriari de mei martirii passione.* Hanc vocem subsecuta est sponsio divinae promissionis, rata et firma esse omnia quae rogasset. Post multa vero tempora Romam veniens quidam, Fulradus nomine, et ibi gesta legens pretiosi martiris, notavit locum sepulcri; veniensque levavit reliquias sacras, et collocavit eas in pago Parisiaco. Inde regnante Hluthowico imperatore, translatae sunt in Saxoniam, et ut legatus Karoli confessus est, ex hoc res Francorum coeperunt minui, Saxonum vero crescere, donec dilatatae ipsa

sua iam magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi et totius orbis capite, patre tuo, cuius potentiae maiestatem non solum Germania Italia atque Gallia, sed tota fere Europa non sustinet. Colito itaque tantum patronum, quo adveniente, Saxonia ex serva facta est libera et ex tributaria multarum gentium domina. Neque enim talis ac tantus summi Dei amicus tui gratia indiget, nos vero famuli ipsius indigemus. Unde ut eum possis habere intercessorem apud coelestem imperatorem, habeamus te advocatum apud terrenum regem, tuum scilicet patrem atque fratrem.

35. Igitur Heinricus rex accepta pace ab Ungariis ad novem annos, quanta prudentia vigilaverit in munienda patria et in expugnando barbaras nationes, supra nostram est virtutem edicere, licet omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut caeteris confamiliaribus suis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretque; caeteri vero octo seminarent et meterent frugesque colligerent nono, et suis eas locis reconderent. Concilia et omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari; in quibus extruendis die noctuque operam dabant, quatinus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent. Vilia aut nulla extra urbes fuere moenia. Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Slavos qui dicuntur Heveldi[1], et multis eos proeliis fatigans, demum hieme asperrima castris super glaciem positis, cepit urbem quae dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore. Cumque illa urbe potitus omnem regionem, signa vertit contra Dalamantiam, adversus quam iam olim reliquit ei pater militiam;

1) Heveldi Slavi sedes habuerunt ad Havelam. MEIB. Urbs eorum Brandenburg.

et obsidens urbem quae dicitur Gana[1], vicesima tandem die cepit eam. Praeda urbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellae captivitati servatae. Post haec Pragam adiit cum omni exercitu, Boemiorum urbem, regemque eius in deditionem accepit; de quo quaedam mirabilia praedicantur, quae quia non probamus, silentio tegi iudicamus[2]. Frater tamen erat Bolizlavi; qui[3] quamdiu vixit, imperatori fidelis et utilis mansit. Igitur rex Boemias tributarias faciens, reversus est in Saxoniam.

36. Cumque vicinae gentes a rege Heinrico factae essent tributariae, Apodriti, Wilti, Hevelli, Dalamanci, Boemi, Redarii[4], et pax esset, Redarii defecerunt a fide, et congregata multitudine, inpetum fecerunt in urbem quae dicitur Wallislevu[5], ceperuntque eam, captis et interfectis omnibus habitatoribus eius, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbarae nationes erectae, iterum rebellare ausae sunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum praesidio militari Bernhardo, cui ipsa Redariorum provincia erat sublegata, additurque legato collega Thiatmarus, et iubentur urbem obsidere quae dicitur Lunkini[6]. Quinto obsidionis die venere custodes, exercitum barbarorum non longe esse adnunciantes, et quia nocte contigua inpetum in castra facere decrevissent. Cumque plures eadem confirmarent, populus fidem paribus dabat dictis; et cum conventus esset populi circa tentoria legati, eadem hora, collega dictante, praecepit, ut per totam noctem parati essent, ne

1) Iahna inter Meissen et Lommatsch esse videtur. Grona aut Kietni contra optimorum codicum consensum legere, iam minime licet. 2) Sanctum Wenceslaum satis aperte Wid. indicat. 3) i. e. Wenceslaus. 4) Redariorum in terra Strelitziensi sedes nuperrime V. Cl. Lisch in Annalibus Societatis historicae Megalopolitanae T. III, 1 sqq. accuratissime investigavit. 5) Walsleben prope Albiam, inter Werben et Arneburg. 6) Lentzen ad Albim.

qua forte irruptio barbarorum in castra fieret. Cum autem dimissa esset multitudo, in castris variavere moestitia pariter atque laetitia, aliis bellum formidantibus, aliis autem desiderantibus; et pro qualitate morum inter spem metumque versabantur bellatores. Interea dies transit, et nox solito tenebrosior cum ingenti pluvia adest nutu divino, quatinus consilium pessimum inpediretur barbarorum. Ut ergo iussum est, tota nocte illa armati erant Saxones, et primo diluculo dato signo, sacramentoque accepto, primum ducibus, deinde unusquisque alteri operam suam sub iuramento promittebat ad praesens bellum. Orto autem sole — nam post pluviam clara redit serenitas —, erectis signis procedebant castris; in prima quidem fronte legatus in barbaros inpetum faciens. Sed cum pauci non praevalerent adversus innumerabiles, reversus est ad exercitum, referens, quia barbari non plures haberent equites, peditum vero innumerabilem multitudinem, et nocturna pluvia in tantum inpeditam, ut vix ab equitibus coacti ad pugnam procederent. Igitur sole cadente in humida vestimenta barbarorum, fumum ascendere fecit usque in coelum, spem fiduciamque praestans Dei populo, cuius faciei claritas atque serenitas circumfulsit illos. Igitur dato signo, et exhortante legiones legato, cum clamore valido irruunt in hostes. Cumque nimia densitate iter pertranseundi hostes non pateret, dextra laevaque ferro erumpentes, quoscumque a sociis secernebant, neci dabant. Cumque iam bellum gravaretur, et multi hinc atque inde caderent, et adhuc barbari ordines tenerent, legatus collegam, ut legionibus auxilio esset, expostulat. Ille vero praefectum cum quinquaginta armatis lateri hostili inmisit, et ordines conturbavit; ex hoc caedi fugaeque tota die hostes patebant. Cum ergo per omnes agros caederentur, ad urbem vicinam fugere temptabant.

Collega autem hoc eis praecavente, proximum mare[1] ingressi sunt, et ita factum est, ut omnis illa nimia multitudo aut gladio consumeretur aut in mari mergeretur. Nec peditum ullus superfuit, equitum rarissimus, deponiturque bellum cum casu omnium adversariorum. Ingens interea oritur laetitia ex recenti victoria, dum omnes laudant duces, unusquisque vero militum praedicat alium, ignavum quoque, ut in tali fortuna solet fieri. Postera autem luce movent signa urbi praefatae, urbani vero arma deponunt, salutem tantummodo deposcunt ac merentur. Inermes igitur urbi egredi iussi; servilis autem conditio et omnis pecunia cum uxoribus et filiis et omni suppellectili barbarorum regis captivitatem subibant. Ceciderunt etiam ex nostris in illo proelio duo Liutharii et alii nobiles viri nonnulli. Igitur legatus cum collega et aliis principibus Saxoniam victores reversi, honorifice a rege sunt suscepti satisque laudati, qui parvis copiis, divina favente clementia, magnificam perpetraverint victoriam. Nam fuere qui dicerent, barbarorum ducenta milia caesa. Captivi omnes postera die, ut promissum habebant, obtruncati.

37. Itaque recentis victoriae laetitiam augebant nuptiae regales, quae eo tempore magnifica largitate celebrabantur. Nam rex dedit filio suo Oddoni coniugem filiam Ethmundi[2] regis Anglorum, sororem Adalstani, quae genuit ei filium nomine Liudulfum, virum magnum, meritoque omnibus populis carum, filiam quoque nomine Liudgardam, quae nupserat Conrado Francorum duci.

38. Rex autem cum iam militem haberet equestri proelio probatum, contra antiquos hostes, videlicet Ungarios, praesumpsit inire certamen. Et 932. c

1) Prope Lenzen duo quamvis minores lacus sunt. 2) Edgitham filiam Ethwardi regis.

convocato omni populo, tali oratione eos est affatus: *Olim ex omni parte confusum a quantis periculis imperium vestrum modo sit liberum, vos ipsi melius nostis, qui civilibus discordiis et externis bellis totiens attriti laborabatis. At nunc, propitia nobis summa divinitate, nostro labore, vestra virtute, pacatum collectumque cernitis, barbaros superatos et servituti subiectos. Quod superest, necesse habemus, ut contra communes hostes Avares pariter consurgamus. Vos hucusque, filios filiasque vestras expoliavi, et aerarium eorum replevi; nunc templa templorumque ministros ut expoliem cogor, absque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Consulite igitur vobis ipsis, et quid super hac re nobis sit faciendum, eligite. Thesaurum divinis officiis sanctificatum tollamne, et dabo pro nostra redemptione Dei inimicis? an certe addam cultui divino pecuniae honorem, ut ab ipso potius redimamur, qui vere noster extat creator pariter et redemptor?* Ad haec populus levavit voces in coelum, inquiens, se a Deo vivo et vero redimi omnimodis desiderare, quia fidelis et iustus sit in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Operam suam deinde promittens regi contra gentem acerrimam, dextris in coelum elevatis, pactum firmavit. Tali itaque pacto cum populo peracto, dimisit rex multitudinem. Post haec legati Ungariorum adierunt regem pro solitis muneribus; sed ab eo spreti, in terram suam vacui sunt reversi. Haec audientes Avares, nichil morati cum gravi hostilique manu festinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis paratos, pinguissimum pro munere eis proiciunt canem. Et cum non esset iniuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prosecuntur amicos. Igitur quam

potuerunt repentino inpetu intrant fines Thuringo- 933.
rum, illam totam terram hostiliter pervagantes. Ibique divisis sociis, alii ad occidentem pergebant, ab occidente et meridie Saxoniam quaerentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine, caesis ducibus, caeteros illius exercitus occidentalis per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame consumpti, alii frigore dissoluti, alii autem caesi vel capti, ut digni erant, miserabiliter perierunt Qui autem in oriente remansit exercitus, audivit de sorore regis quae nupserat Widoni Thuringo — erat namque illa ex concubina nata —, quia vicinam urbem inhabitaret, et multa pecunia ei esset auri et argenti. Unde tanta vi urbem obpugnare coeperunt, ut nisi nox visum pugnantibus inpediret, urbem caperent. Ea vero nocte audientes de casu sociorum regisque super eos adventu cum valido exercitu — nam castra metatus est rex iuxta locum qui dicitur Riade —, timore perculsi, relictis castris, more suo igne fumoque ingenti agmina diffusa collegerunt. Rex vero postera die producens exercitum, exhortatus est, ut spem suam divinae clementiae committerent, divinum sibi auxilium quemadmodum in aliis proeliis adesse non dubitarent; communes omnium hostes esse Ungarios; ad vindictam patriae parentumque solummodo cogitarent; hostes cito terga vertere vidissent, si viriliter certando persisterent. His optimis verbis erecti milites, imperatoremque in primis mediis et ultimis versantem videntes, coramque eo angelum — hoc enim vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum —, acceperunt fiduciam magnamque constantiam. Rex vero veritus est, quemadmodum evenit, ut hostes, viso milite armato, fugae statim indulsissent; misit legionem Thuringorum cum raro milite armato,

ut inermes prosequerentur, et usque ad exercitum protraherentur. Actumque est ita; sed nichilominus videntes exercitum armatum, fugerunt, ut per octo miliaria vix pauci caederentur vel caperentur. Castra vero invasa, et omnis captivitas liberata est.

39. Rex vero victor reversus, modis omnibus gratiarum actiones divino honori, ut dignum erat, solvebat pro victoria de hostibus sibi divinitus concessa; tributumque, quod hostibus dare consuevit, divino cultui mancipavit et largitionibus pauperum deservire constituit. Deinde pater patriae, rerum dominus imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiae virtutisque cunctis gentibus et regibus longe lateque diffudit. Unde et aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conspectu eius invenire quaerentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Hiriberhtus gener Hugonis, cum ei adversaretur Rodulfus, contra ius fasque omne rex constitutus, ut ei apud dominum suum pro praesidio esset, supplicavit. Ipse enim rex talis erat, qui nichil nega-
935. ret amicis. Perrexit igitur Galliam rex, regem alloquitur, et perfecto negotio, reversus est in Saxoniam. Cumque esset in exaltando gentem suam, rarus fuit aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia, quem praeclaro munere aut officio vel aliqua quaestura non promoveret. Et cum ingenti polleret prudentia sapientiaque, accessit et moles corporis, regiae dignitati omnem addens decorem. In exercitiis quoque ludi tanta eminentia superabat omnes, ut terrorem caeteris ostentaret. In venatione tam acerrimus erat, ut una vice quadraginta aut eo amplius feras caperet; et licet in conviviis satis iocundus esset, tamen nichil regalis disciplinae minuebat; tantum enim favorem pariter et timorem

militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam se dissolvendum.

40. Cum autem omnes in circuitu nationes sub- 934.
iecisset, Danos, qui navali latrocinio Fresones insursabant, cum exercitu adiit vicitque, et tributarios faciens, regem eorum nomine Chnubam[1] baptismum percipere fecit. Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit.

41. Cumque se iam gravari morbo sensisset, convocato omni populo, designavit filium suum Oddonem regem, caeteris quoque filiis praedia cum thesauris distribuens; ipsum vero Oddonem, qui maximus et optimus fuit, fratribus et omni Francorum imperio praefecit. Testamento itaque legitime facto, 936.
et rebus omnibus rite compositis, defunctus est Iul. 2.
ipse rerum dominus et regum maximus Europae, omni virtute animi corporisque nulli secundus, relinquens filium sibi ipsi maiorem, filioque magnum latumque imperium, non a patribus sibi relictum, sed per semet ipsum adquisitum et a solo Deo concessum. Erant autem dies quibus regnavit 16 anni[2], vitae autem fere 60. Translatum est autem corpus eius a filiis suis in civitatem quae dicitur Quidilingaburg, et sepultum in basilica sancti Petri ante altare cum planctu et lacrimis plurimarum gentium.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS GESTARUM RERUM SAXONICARUM.

1) De Cnutone (ita Thietmarus I. p. 12.) regis Gormi filio, in australi parte Daniae regnante, Wid. cogitasse videtur; nomen tamen procul dubio cum b aut p scripsit. Kunt pro Knut etiam codex Viennensis Adami Bremensis exhibet. Illum vero baptismum accepisse, nostri error esse videtur. 2) Heinricum inde a mense Aprili anni 919 usque 936 diem 2. mensis Iulii septemdecim annos et tres fere menses regnum tenuisse, facile apparet.

AD DOMINAM MAHTHILDAM IMPERATORIS FILIAM.

LIBRI SECUNDI INCIPIT PRAEPHATIO.

Ingens opus coepturus, vel certe iteraturus — nam magna ex parte peractum est — tua gratia fulciatur, quae domina esse dinosceris iure totius Europae; quamquam in Africam Asiamque patris tui iam potestas protendatur. Spero enim, quicquid in eo invenitur minus idoneum, gloriosa tuae clementiae lenitate sublevetur, permaneatque ea devotione dedicatum, qua est conscriptum.

EXPLICIT PRAEPHATIO.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. De conventu populi ad Aquasgrani palatii et electione novi regis eiusque victoria.
2. De ministerio regali et de principibus eius.
3. De bello contra Bolizlavum facto.
4. De expeditione regis in barbaras nationes.
5. De Ungariis.
6. De intestinis bellis.
7. De reliquiis Innocentii martyris.
8. De Arnulfo Boioariorum duce.
9. De Sifrido et Thancmaro regis filio.
10. De dissensione et legum varietate.
11. De Thancmaro et Evurhardo et Heinrico, et bellis civilibus.
12. De Heinrico fratre regis.
13. De Evurhardo, qualiter veniam promeretur.
14. Item de Ungariis, qualiter non sine suo gravi vulnere recedunt.
15. Qualiter Heinricus ardet cupiditate regnandi.
16. De Hisbertho[1] Lothariorum duce.
17. De bello Biertanico.

1) i. e. Isilberto.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

1. Defuncto itaque patre patriae et regum maximo optimo Heinrico, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum regem a patre, 936.

filium eius Oddonem, elegit sibi in principem; universalisque electionis notantes locum iusserunt esse ad Aquasgrani palatii. Est autem locus ille proximus Iulo[1], a conditore Iulio Caesare cognominato. Cumque illo ventum esset, duces ac praefectorum principes cum caetera principum militum manu congregati in sixto[2], basilicae magni Karoli cohaerenti, collocarunt novum ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur a ducibus ac caetero magistratu, pontifex maximus cum universo sacerdotali ordine et omni plebe infra in basilica praestolabatur processionem novi regis. Quo procedente, pontifex obvius laeva sua dextram tangit regis, suaque dextra lituum gestans, linea indutus, stola planetaque infulatus, progressusque in medium usque fani subsistit; et reversus ad populum, qui circumstabat — nam erant deambulatoria infra supraque in illa basilica in rotundum facta[3] — quo ab omni populo cerni posset: *En, inquit, adduco vobis a Deo electum, et a domino rerum Heinrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus regem factum Oddonem; si vobis ista electio placeat, dextris in coelum levatis significate.* Ad haec omnis populus dextras in excelsum levans, cum clamore valido inprecati sunt prospera novo duci. Proinde processit pontifex cum rege, tunica stricta more Francorum induto, pone altare; super quod insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, clamis cum armillis, baculus cum sceptro ac diadema. Eo quippe tempore erat summus pontifex nomine Hildiberhtus, Franco genere,

1) Iülich. 2) Ita Widukindum scripsisse, xystum vero, i. e. porticum, intellexisse, putarim; de basilica a Karolo Magno aedificata cf. Einhardi vita c. 26. 3) Adsunt adhuc, basilica in eadem forma servata. PERTZ.

monachus professione, nutritus vel doctus in Vuldo monasterio, et ad id honoris merito progrediens, ut pater eiusdem loci constitueretur, deinde summi pontificatus Mogontiacae sedis fastigium promeruisset. Hic erat vir mirae sanctitatis, et praeter naturalem animi sapientiam, litterarum studiis satis clarus. Qui inter caetera gratiarum dona spiritum prophetiae accepisse praedicatur. Et cum quaestio esset pontificum in consecrando rege, Treverensis[1] videlicet et Coloniae Agrippinae — illius, quia antiquior sedes esset, et tamquam a beato Petro apostolo fundata; istius vero, quia ad eius diocesim pertineret locus; et ob id sibi convenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem — cessit tamen uterque eorum Hildiberhti cunctis notae almitati. Ipse autem accedens ad altare, et sumpto inde gladio cum balteo, conversus ad regem ait: *Accipe*, inquit, *hunc gladium, quo eicias omnes Christi adversarios, barbaros et malos christianos, auctoritate divina tibi tradita, omni potestate totius imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium christianorum.* Deinde sumptis armillis ac clamide, induit eum: *His cornibus*, inquit, *humitenus demissis monearis, quo zelo fidei ferveas, et in pace tuenda perdurare usque in finem debere.* Exinde sumpto sceptro baculoque: *His signis*, inquit, *monitus, paterna castigatione subiectos corripias, primumque Dei ministris, viduis ac pupillis manum misericordiae porrigas; numquamque de capite tuo oleum miserationis deficiat, ut in praesenti et in futuro sempiterno praemio coroneris.* Perfususque ilico oleo sancto et coronatus diademate aureo ab ipsis pontificibus Hildiberhto et Wicfrido[2], ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cocleas adscendebatur, et erat inter duas marmoreas mirae pulchritudinis

1) Rotbertus. 2) archiepiscopo Coloniensi.

columpnas constructum, unde ipse omnes videre et ab omnibus ipse videri posset.

2. Divina deinde laude dicta, sacrificioque sollempniter celebrato, descendebat rex ad palatium, et accedens ad mensam marmoream regio apparatu ornatam, resedit cum pontificibus et omni populo; duces vero ministrabant. Lothariorum dux Isilberhtus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat, Evurhardus mensae praeerat, Herimannus Franco pincernis, Arnulfus equestri ordini et eligendis locandisque castris praeerat. Sigifridus vero, Saxonum optimus et a rege secundus, gener quondam regis, tunc vero affinitate coniunctus, eo tempore procurabat Saxoniam [1], ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque iuniorem Heinricum secum tenuit. Rex autem post haec unumquemque principum iuxta munificentiam regalem congruenti sibi munere honorans, cum omni hilaritate dimisit multitudinem.

3. Interea barbari ad novas res moliendas desaeviunt, percussitque Bolizlav fratrem suum [2], virum christianum et, ut ferunt, Dei cultura religiosissimum, timensque sibi vicinum subregulum, eo quod paruisset imperiis Saxonum, indixit ei bellum. Qui misit in Saxoniam ad expostulanda sibi auxilia. Mittitur autem ei Asic cum legione Mesaburiorum et valida manu Hassiganorum [3], additurque ei exercitus Thuringorum. Erat namque illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Heinricus cum esset satis severus extraneis, in omnibus causis erat clemens civibus; unde quemcumque videbat furum aut latronum manu fortem et bellis aptum, a debita poena ei parcebat, collocans in suburbano

1) i. e. regis absentis loco imperium in Saxonia tenebat, cf. II, 26. 34. III, 23. *urbem procurare* II, 15. 2) Wenceslaum die 28. Sept. 936 occisum esse, plurimi sibi persuaserunt, cf. Dobner ad Hagecium III. p. 652—657; rectius vero a. 935 statuendus esse videtur. 3) Incolae pagi Hasgowe, in qua et ipsa urbs Mersburg sita fuit.

Mesaburiorum, datis agris atque armis, iussit civibus quidem parcere, in barbaros autem, in quantum auderent, latrocinia exercerent. Huiuscemodi ergo hominum collecta multitudo plenam in expeditionem produxit legionem. Bolizlav autem audiens de exercitu Saxonico, et quia Saxones seorsum, et seorsum Thuringi irent contra se, divisis et ipse sociis, sicuti erat acerrimus consilio, utroque exercitui occurrere disposuit. At Thuringi ut hostes inprovise sibi occursitare viderunt, fuga periculum devitaverunt. Asic autem cum Saxonibus et caeteris auxiliariis nichil cunctatus in hostes ruit, maximamque partem ex eis armis fudit, caeteros fugere conpulit, victorque ad castra reversus est. Et cum ignorasset de exercitu qui insecutus fuerat Thuringos, minus caute usus est victoria perpetrata. Bolizlav autem videns exercitum nostrum dispersum, et alios in extrahendis spoliis caesorum, alios in suis corporibus reficiendis, alios in paleis equorum congregandis occupatos, fugatum reversumque coadunans exercitum, super inprovisos ac recenti victoria securos subito irruit, et ducem cum omni nostro exercitu delevit. Pergensque inde ad urbem subreguli, primo eam inpetu cepit, et usque in hodiernum diem solitudinem fecit. Perduravitque illud bellum usque ad quartum decimum regis imperii annum[1]; ex eo regi fidelis servus et utilis permansit.

4. Rex autem, audito huiuscemodi nuntio, minime turbatur, sed divina virtute roboratus, cum omni exercitu intrat terminos barbarorum[2] ad refrenandam illorum saevitiam. Datum quippe erat illis et antea a patre suo bellum, eo quod violas-

1) cf. III. c. 8. Anno 950 bellum compositum est. 2) Non contra Boemos, quod vulgo statuitur, sed aliam Slavorum gentem Otto hanc expeditionem sumpsit; ipse vero hoc anno contra Riadros i. e. Redarios se profectum esse profitetur.

sent legatos Thancmari filii sui, de quo in sequentibus plenius dicturos arbitramur. Placuit igitur novo regi novum principem militiae constituere; elegitque ad hoc officium virum nobilem et industrium satisque prudentem, nomine Herimannum. Quo honore non solum caeterorum principum, sed et fratris sui Wichmanni offendit invidiam. Quapropter et simulata infirmitate, amovit se ab exercitu. Erat namque Wichmannus vir potens et fortis, magnanimus, belli gnarus, et tantae scientiae, ut a subiectis supra hominem plura nosse praedicaretur. Herimannus autem cum esset in prima acie, in introitu regionis in hostium pugnam incidit, eosque fortiter vicit, et ob hoc maiori invidia inimicos accendit, inter quos Ekkardus, filius Liudulfi, qui in tantum aegre passus est fortunam Herimanni, ut sese promitteret maiora facturum, aut vivere nolle. Unde collectis ex omni exercitu fortissimis viris, interdictum regis rupit, et paludem, quae erat inter urbem hostium et castra regis, cum sociis transiit, statimque hostes offendit, et ab his circumfusus, cum omnibus suis periit. Erant autem qui cum eo ceciderant electorum ex omni exercitu virorum decem et octo. Rex autem caesa hostium multitudine, et caeteris tributariis factis, reversus est in Saxoniam. Acta sunt autem haec 7. Kalend. Octobr.

937. 5. Post haec antiqui hostes Ungarii venerunt virtutem probare novi regis. Intrantes autem Franciam, statuerunt, si possent, ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nichil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque et a terminis suis abegit.

6. Cessantibus autem bellis externis, civilia oriri coeperunt. Nam Saxones imperio regis gloriosi facti, dedignabantur aliis servire nationibus, quaesturasque quas habuerunt ullius alii, nisi so-

lius regis gratia, habere contempserunt. Unde iratus Evurhardus contra Bruningum, collecta manu, succendio tradidit civitatem illius vocabulo Elmeri[1], interfectis omnibus eiusdem civitatis habitatoribus. Qua praesumptione rex audita, condempnavit Evurhardum centum talentis aestimatione equorum, omnesque principes militum, qui eum ad hoc facinus adiuvabant, dedecore canum, quos portabant usque ad urbem regiam, quam vocitamus Magathaburg.

7. Eodem tempore transtulit rex reliquias Innocentii martiris in eandem urbem[2]. Ipse autem rex, ut erat clementissimus, dum turbatores pacis merita castigatione afflixit, ilico cum pietate suscepit, et unumquemque eorum regio munere honorans, dimisit in pace. At illi nichilominus duci suo haerebant ad omne nefas, quia ille quidem erat iocundus animo, affabilis mediocribus, largus in dando, et his rebus multos Saxonum sibi associavit.

8. Ea tempestate defunctus est Arnulfus Boio- 937.
ariorum dux, et filii eius in superbiam elati, regis Iul. 14.
iussu contempserunt ire in comitatum.

9. Illo quoque tempore defunctus est Sigifridus comes, cuius legationem[3] cum sibi vendicasset Thancmarus, eo quod propinquus ei esset —
nam mater eius filia erat materterae Sigifridi, de 938.
qua genuit rex Heinricus Thancmarum —, et regali dono cessisset Geroni comiti, afflictus est Thancmarus tristitia magna. Rex autem transivit in Boioariam, et rebus ibi rite compositis, reversus est in Saxoniam.

1) Helmershausen ad Dimelam inferiorem, ut iam Meibomius voluit, aut Elmershausen aut Helmarshausen in eadem regione esse videtur. 2) Has ipsi Rudolfus rex Burgundiae transmisit, cf. Ottonis diplomata ecclesiae Magdaburgensi 21. et 27. die Septembris 937 data apud Meibomium I. p. 741. 3) *Legatio* comitis limitum significat dignitatem, cf. I, 36.

10. Dissensio autem, quae facta est inter Evurhardum et Bruningum, ad hoc pervenit, ut caedes publicae fierent, depopulationesque agrorum agerentur, et ab incendiis nusquam abstinerent. De legum quoque varietate facta est et contentio, fueruntque qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obissent avis superstitibus. Unde exiit edictum a rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam quae dicitur Stela, factumque est, ut causa inter arbitros iudicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, et firmatum est, ut aequaliter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno. Ibi quoque pacis turbatores facti sunt manifesti, qui hactenus se negabant contra regiam potestatem aliquid fecisse, sed iniuriam tantummodo in socios vindicassent. Rex autem se contemptum ab eis animadvertens — neque enim ad placitum iuxta iussum venire dignati sunt —, arma distulit, veniae locum dedit, proxima sibi semper solitus clementia. Sed haec dilatio ad maiorem perniciem multos protraxit. Fiebant praeterea multa nefaria a seditiosis, homicidia, periuria, depopulationes, incendia; aequum pravumque, sanctum periuriumque illis diebus parum procedebant.

11. Iunctus est autem et Thancmarus Evurhardo, collectaque valida manu, oppugnat praesidium quod dicitur Badiliki[1], in quo erat Heinricus iunior, dataque praeda urbis suis commilitonibus, abiit, secum adducens Heinricum quasi vile quoddam mancipium. Interfectus est autem ibi Geve-

1) Belike e meridie civitatis Lippstadt.

hardus, Udonis filius, fratris Herimanni ducis, ob cuius necem, Deo omnia ordinante, duces Francorum inter se sunt divisi. Tantis igitur spoliis Thancmari milites ditati, iam ad omnia parabantur. Post haec cepit urbem quae dicitur Heresburg, et collecta valida multitudine, sedit in ea, multa inde exercens latrocinia. Evurhardus autem secum tenuit Heinricum Eo quoque tempore occisus est Dedi ante portas urbis quae dicitur Larun[1], in qua erant milites Evurhardi. Wichmannus autem, qui se primum alienavit a rege, audiens tantum facinus seditiosorum, conversus pacem fecit cum rege, quia prudentissimus erat, et utilis ac fidelis usque in finem permansit[2]. Thancmarus autem, filius Heinrici regis, natus erat ex matre nobili, manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus, sed inter arma honesta minus pudicitia usus. Erat autem mater eius multam habens possessionem, qui licet a patre alia plura sit ditatus, materna tamen se hereditate privatum aegre valde tulit, et ob hanc causam arma sumit ad perniciem sui suorumque contra dominum suum regem. Rex autem, licet invitus, videns rem ad tam ingens periculum procedere, ad edomandam Thancmari insolentiam cum multo comitatu perrexit ad Heresburg. Cives autem urbis illius cognoscentes de rege, quia super se cum valida manu appropinquasset, apertis portis, introduxerunt exercitum, qui obsederat urbem. Thancmarus autem fugit in aecclesiam, a Leone papa beato Petro apostolo dedicatam. Exercitus autem persecutus est eum usque in templum, et maxime satellites Heinrici, dolentes ac vindicare contendentes iniuriam domini sui; nec veriti ianuas ferro incidere, cum armis ingressi sunt sacram aedem. Thancmarus autem stabat iuxta altare, depositis desuper armis

1) Larun in pago Westfalon, castrum ditionis Arensberg, esse videtur.
2) Obiit 23. die Aprilis 944.

cum torque aurea. Cumque ex adverso telis urgeretur, Thiadboldus quidam, nothus Cobbonis, cum conviciis vulnus ei inflixit, ilicoque ab eo recepit, quo vita cum terribili insania in brevi caruisset. Quidam autem militum, Maincia vocabulo, per fenestram altari contiguam lancea a tergo perfossum
Iul. ibi secus aram extinxit Thancmarum. Ipse autem
28. fraternae fautor discordiae, in Biertanieo postea bello vitam cum auro ab altari nequiter rapto miserabiliter perdidit. Earum rerum rex ignarus et absens cum audisset, super temeritate militum indignatus est, sed fervente adhuc bello civili, non potuit eos contristari. Miseratus autem fratris fortunam, suique ingenii ostendens clementiam, pro laude eius ac industria pauca locutus, Thiadricum et tres amitae illius filios, qui Thancmaro manus iunxerant, lege Francorum dampnatos strangulo fecit deficere. Inde vertit militem avidum pugnae et praeda urbis ditatum in Laras. Illi autem, urbis praefecto auctore, acriter resistentes, lapides lapidibus, tela telis obicere non cessabant. Aggravatique bello, super consulto ducis[1] indutias deposcunt. Quibus concessis, ducis eis praesidium negatur. Unde urbe egressi, potestati se regiae tradiderunt. Ea pugna Tamma pincerna, multis aliis rebus bene gestis olim famosus, factus est clarus. Evurhardus autem audiens de nece Thancmari et defectione suorum militum, fractus animo, prosternitur captivo suo, veniam petit, ac nequiter promeretur.

12. Heinricus autem erat eo tempore nimis adolescens[2], fervens animo; et nimia regnandi cupiditate illectus, eo pacto crimine solvit eum, quo coniuratione secum facta contra regem dominum suum et fratrem, sibi regni diadema, si possibile

1) ducem scil. Everhardum consulturi. P. 2) Heinricus inter annos 919 et 922 natus tunc decimum sextum vel octavum annum agebat.

foret, inponeret. Foedus itaque invicem percussum. Inde liberaliter Heinricus ad regem reversus, puriori fide ac caritate ab eo est susceptus quam ingressus.

13. Suasione quoque optimi inprimis viri et omni religione probatissimi Frithurici, successoris Hildiberhti archiepiscopi, Evurhardus adiit regem, supplex veniam deposcit, se suaque omnia ipsius arbitrio tradens. Ne igitur ingens scelus inemendatum maneret, quasi in exilium in Hildinensem urbem a rege dirigitur. Sed non post multum temporis in gratiam clementer recipitur, et honori pristino redditur.

14. Dum ea interea loci geruntur, antiqui hostes nostri Ungarii subito irruunt in Saxoniam, et castris super litus Badae fluminis conlocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem missus a castris cum parte exercitus, eo die ad vesperam signa movit circa urbem quae dicitur Stedieraburg[1]. Urbani autem videntes hostes et ex itinere et ex pluvia, quae ingens erat, segniores, audacter erumpunt portis, et clamore primum territantes, demum repente in adversarios irruentes, plurimis ex eis caesis, et copiosa equorum multitudine cum aliquibus signis capta, caeteros fugere compulerunt. Urbes quas obvias habuere, illorum fugam animadvertentes, armis eos omnibus locis urgebant, et maxima ex eis parte prostrata, ducem ipsum in quendam luti puteum cogentes obpresserunt. Altera autem pars exercitus ad aquilonem versus, et arte cuiusdam Slavi in locum qui dicitur Thrimining[2] deductus, difficultate locorum ac manu circumfusus armatorum periit, timoremque nimium caeteris incussit. Dux autem illius exercitus cum

1) Stederburg prope Wolfenbüttel. 2) palustris regio Drömling, in qua Alerae et Orae fontes; Annal. Corbeiens. pagum Belxa dicunt. P.

paucis elapsus, comprehenditur, et ad regem deductus, pretio magno redimitur. His auditis, castra hostium omnia turbata, fuga salutem quaesierunt, nec ultra per triginta annos in Saxonia apparuerunt.

939. 15 Post haec Heinricus ardens cupiditate regnandi, cęlebre parat convivium in loco qui dicitur Salaveldun [1]. Cumque esset magnus ac potens, maiestate et potestate regali plurimis plurima donat, et factionis huiuscemodi plurimos ob id sibi associat. Fuere tamen multi, qui rem celare potius arbitrati sunt, ad hoc tantum, ne rei fraternae discordiae invenirentur. Dabant tamen consilium, quo facilius bellum solveretur, ut videlicet ipse relinqueret Saxoniam sub praesidio militari, et sese inferret Lothariis, generi hominum inbelli; et ita factum est, ut primo inpetu eos rex devinceret, et uno certamine fatigaret. Commilitonum itaque consulto Saxonia, ut diximus, relicta, et urbibus Saxoniae vel in Thuringorum terra praesidio militari traditis, ipse cum amicis Lotharios adit. Cuius rei fama undique omnes perculsi, quia tam subitaneae recessionis a rege ac repentini belli causam penitus ignorabant. Rex autem audita huiuscemodi fama, primum non credidit, postremo certum de belli negotio probans, nichil moratus cum exercitu prosecutus est fratrem. Et ut appropiat urbi praesidiis fratris munitae, quae dicitur Thortmanni [2], milites qui erant in ea, non inmemores fortunae Thancmari, nequaquam sunt ausi inibi regem expectare, sed egressi urbe, tradiderunt se ipsos regi. Erat autem Agina, qui illam urbem ad manum Heinrici procurare deberet. Hic a rege vehementi iuramento constrictus, quatinus, si posset, dominum suum a bello ad pacem et concordiam revocaret, vel certe ipse ad regem reverteretur; ita dimissus, adiit

1) Saalfeld. 2) Dortmund.

dominum suum. Ductus autem exercitus a rege, pervenit usque ad litora Reni fluminis.

16. Eo tempore[1] quo erat bellum Evurhardi cum rege, missus Hadaldus, qui erat super cubiculum regis, ad Isilberhtum pro concordia et pace, cum necdum ad neutram partem palam declinaretur, indigne suscipitur, et responsio de die in diem differtur. Ipse autem simultates ducis sentiens, nec ultra talibus versutiis contentus: *Imperio*, inquit, *tibi regali denuntio, teste populo, tribunali regis condicto die praesentari, aut certe hostem te scias iudicari.* Simili modo et pontificem Bernhardum[2], a rege missum, inhonoratum et responsi incertum a se dimisit. Fertur etiam et regalium litterarum saepius sigilla corrupisse. Post haec vero verba legatum meliuscule coepit habere, et cum honore transduci fecit.

17. Igitur copias belli parantes Heinricus et Isilberhtus, decreverunt ad Renum occurrere regi. Agina quoque memor iurisiurandi, praecedens exercitum, transito Reno, regi sese praesentavit; et salutato eo verbis humillimis, ait: *Frater tuus, dominus meus, salvum te et incolumem magno latoque imperio diu regnare exoptat, tuumque ad servitium demandat se quantocius festinare.* Rege autem interrogante de eo, pacem bellumne cogitasset, prospiciens vidit multitudinem nimiam erectis signis tractim procedere, et ad sui partem exercitus, qui iam Renum transierat, tendentem. Et conversus ad Aginam: *Quidnam vult*, inquit, *illa multitudo, aut quae est?* At ille satis otiose: *Dominus meus*, inquit, *est, frater tuus. Si meae suasioni dignaretur animum inclinare, aliter venisset. Modo ut ipse iuravi veni.* Rex autem his auditis, dolorem animi motu corporis non celabat, eo quod non adessent naves,

1) prioris belli tempore a. 938. 2) Halberstadensem.

per quas Renum transcendere posset; et ingens flumen aliud iter non praebebat, nec tempus subitanei certaminis in ulteriore ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere debere, aut certe armis vitam defendere. Unde ad Deum supplices expandens manus rex, ait: *Deus,* inquit, *omnium rerum auctor et rector, respice populum tuum, cui me praeesse voluisti, ut ereptus ab inimicis, sciant omnes gentes, ullum mortalium tuae dispositioni contraire non posse, qui omnia potes et vivis et regnas in aeternum.* Qui autem erant in ulteriore ripa, sarcinas et inpedimenta quaeque transmittunt in locum qui dicitur Xantum[1]; ipsi vero parati hostes expectant. Cumque esset piscina inter nostrates et hostes, Saxones divisis sociis, pars una ex adverso ruit in hostes, altera pars a tergo insequitur, in mediis hostes opprimens, pauci plures vehementer urgebant. Neque enim nostratium supra centum armatos fuisse perhibetur, adversariorum vero magnus satis exercitus. Sed cum a fronte pariter et a tergo urgerentur, qua parte potissimum cavere debuissent, in promptu non erat. Ex nostris etiam fuere, qui Gallica lingua ex parte loqui sciebant, qui clamore in altum Gallice levato, exhortati sunt adversarios ad fugam. Illi socios huiuscemodi clamasse arbitrati, fugam, ut clamatum est, inierunt. Eo die ex nostris multi vulnerati, aliqui etiam caesi, inter quos Ailbertus, qui cognominatus est Candidus, telo ducis Heinrici vulneratus, non multis interiacentibus diebus defunctus est. Hostes autem omnes aut caesi vel capti vel certe fugati; sarcinae omnes et omnis hostium suppellex inter victores divisa. Ex parte Lothariorum bene pugnasse praedicabatur illo certamine Godofridus,

1) pugnam prope Biertanam (Birthen) commissam esse, Cont. Reg. a. 939. et Liudprandus IV. c. 23. narrant, ideoque Widukindus quoque hoc bellum Biertanicum appellat c. 11. et III, 16.

Niger cognominatus. Sed et Maincia, cuius supra mentionem fecimus, eo die cecidit.

18. Dadi autem Thuring mandavit ad praefectos urbium, qui erant in oriente partis ducis Heinrici, de victoria regis, et quia ipse dux in bello cecidisset; egitque callide, ut omnes se traderent regiae potestati. Heinricus autem hoc factum nequaquam reliquit inultum. Ipsi autem duae tantummodo ex omnibus remanserant urbes, Mersburg et Scithingi. Regi autem post victoriam visum est persequi fratrem suum generumque.

19. Audiens vero de defectione urbium suarum, fractusque recenti regis victoria, cum novem tantum armatis iter arripuit, Saxoniamque iam tardius adiens, urbem Mersburg ingressus est. Quo rex comperto, et ipse reversus est Saxoniam, urbemque, in qua frater erat, cum exercitu obsedit. Sed cum non posset fortiori ac maiori resistere, post duos ferme menses, tradita urbe, egressus est Heinricus ad regem. Datae sunt autem ei indutiae triginta dierum, quatinus cum militibus sibi cohaerentibus secederet a Saxonia; si cui vero illorum regem adire placuisset, locum veniae haberet. Quievitque Saxonia qost haec ab intestinis bellis paucis diebus.

20. Barbari autem labore nostro elati, nusquam ab incendio, caede ac depopulatione vacabant, Geronemque, quem sibi rex praefecerat[1], cum dolo perimere cogitant. Ipse dolum dolo praeoccupans, convivio claro delibutos ac vino sepultos ad triginta fere principum barbarorum una nocte extinxit. Sed cum non sufficeret contra omnes nationes barbarorum — eo quippe tempore et Apodriti rebellaverant, et caeso exercitu nostro, ducem ipsum nomine Haicam extinxerunt —, ab ipso rege saepius

1) Gero praeter pagum Suevon iam a. 937 etiam Nordthuringowe rexit, et his annis marchio limitis Saxonici constitutus esse videtur.

ductus exercitus eos laesit et in multis afflixit et in ultimam pene calamitatem perduxit. Illi vero nichilominus bellum quam pacem elegerunt, omnem miseriam carae libertati postponentes. Est namque huiuscemodi genus hominum durum et laboris patiens, victu levissimo assuetum, et quod nostris gravi oneri esse solet, Slavi pro quadam voluptate ducunt. Transeunt sane dies plurimi, his pro gloria et pro magno latoque imperio, illis pro libertate ac ultima servitute varie certantibus. Multos quippe illis diebus Saxones patiebantur hostes, Slavos ab oriente, Francos a meridie, Lotharios ab occidente, ab aquilone Danos itemque Slavos; propterea que barbari longum trahebant certamen.

21. Fuit autem quidam Slavus a rege Heinrico relictus, qui iure gentis paterna successione dominus esset eorum qui dicuntur Heveldi, dictus Tugumir. Hic pecunia multa captus et maiori promissione persuasus, professus est se prodere regionem. Unde quasi occulte elapsus, venit in urbem quae dicitur Brennaburg, a populoque agnitus et ut dominus susceptus, in brevi quae promisit inplevit. Nam nepotem suum, qui ex omnibus principibus gentis supererat, ad se invitans, dolo captum interfecit, urbemque cum omni regione ditioni regiae tradidit. Quo facto, omnes barbarae nationes usque in Oderam fluvium simili modo tributis regalibus se subiugarunt.

22. Heinricus igitur discedens a Saxonia, Lotharios iterum adiit, et cum genero suo, duce scilicet Isilberhto, cum suis militibus aliquamdiu moratus est. Iterum ducitur exercitus a rege contra Isilberhtum, et omnis regio Lothariorum illius imperio subiacens igni traditur. Obsessusque in urbe quae dicitur Kievermont[1], elapsus inde proficiscitur. Et cum obsidio difficultate locorum parum procede-

1) Chèvremont prope Leodium.

ret, vastata undique regione, rex in Saxoniam revertitur.

23. Sciens autem comitem Isilberhti versutum et callidum nimis, nomine Immonem, artibus illius melius arbitratus est pugnare quam armis. Ille vero, ut erat astutissimus, meliori ac maiori se subdens, arma sumit contra ducem; quod ipse dux omnium laborum gravissime tulit, quia eum sibi adversum sustinere debuisset, cuius consilio ac fidei hactenus se maxime credebat. Augebat quoque indignationem ducis grex porcorum ab Immone callide captus. Nam subulci ducis cum contra portas urbis transirent, Immo porcellum pro porta agitari fecit, et omnem gregem porcorum apertis portis intra urbem recepit. Quam iniuriam dux ferre non valens, coacto exercitu, obsedit Immonem. Ille autem plurima apum examina habuisse fertur, quae frangens proiecit contra equites. Apes autem aculeis equos stimulantes, in insaniam vertebant, ita ut equites periclitari coepissent. Quo viso Immo prospiciens de muro, eruptionem cum sociis minitavit. Huiuscemodi igitur artibus saepius dux ab Immone delusus, solvit obsidionem. Discedens vero fertur dixisse: *Immone mecum sentiente, omnes Lotharios facile captos tenui, modo ipsum solum cum omnibus Lothariis capere nequeo.*

24. Tractum tamdiu bellum Evurhardus considerans, ultra non quiescit. Quin contempto rege, et iure spreto iuramentorum, ut initio, conserta manu cum Isilberhto ad incentiva bellorum pariter conspirant. Nec contenti regno occidentali solummodo, in Reni orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Haec cum audiuntur in castris regis — nam ea tempestate rex erat pugnans contra Briseg et alias urbes, quae erant Evurhardi ditionis —, multi se a castris eruebant, nec ultra spes erat regnandi Saxones. Rex vero ea tur-

batione tanta constantia ac imperio usus est, licet raro milite constiparetur, ac si nichil ei difficultatis obviasset. Nam summi pontifices, relictis tentoriis et alia qualibet suppellectili, ipsi etiam defecerunt a fide.

25. Defectionis causam edicere et regalia misteria pandere, super nos est; verum historiae satisfaciendum arbitramur; quicquid in hac parte peccemus veniabile sit. Summus pontifex missus ad Evurhardum pro concordia et pace, cum esset earum rerum desiderantissimus, pacto mutuo suum interposuit iuramentum, et ideo ab eo non posse desinere fertur narrasse. Rex autem per pontificem officio suo congruentia dirigens responsa, nil ad se pertinere voluit, quicquid episcopus egisset sine suo imperio. Quare quia contra auctoritatem regi quasi praecellenti noluit subici, sed recessit ab eo, in Hammaburgensem urbem quasi in exilium destinavit, Rothardum vero episcopum[1] novam Corbeiam direxit. In brevi vero utrisque clementer ignoscit, in sui gratiam suscipit, et honori pristino reddidit.

26. Ad coercendam igitur ducum praesumptionem missus Herimannus[2] cum exercitu, invenit eos super litus Reni, magnamque partem exercitus abesse, eo quod iam Renum cum praeda transisissent. Circumfusus itaque dux ipse Evurhardus militum armis, multis vulneribus acceptis ac viriliter redditis, perfossus tandem telis corruit. Isilberhtus autem fugiens, navem cum pluribus ascendit, quae onere praegravata subcumbens mergitur, ipseque dux cum caeteris mersus, numquam est inventus. Rex autem audita victoria suorum militum ac morte ducum, gratias egit omnipotenti Deo, cuius saepius auxilium expertus est oportunum, praeficiensque regioni Lothariorum Oddonem, Ricwinis filium, et

1) Strazburgensem. 2) De Herimanno Alamannorum duce cogitare videtur.

ut nutriret nepotem suum filium Isilberhti, optimae spei puerulum, nomine Heinricum, reversus est in Saxoniam. Mater autem pueri copulata est coniugio Hluthowico regi, et Heinricus frater regis discedens a Lothariis, secessit in regnum Karoli. Necem ducum 940. asperrima hiemps, hiememque secuta est fames validissima[1].

27. Post haec Immo, revera nescio an falso, arma sumit contra regem, et media hieme circumdatus exercitu, se pariter cum urbe tradidit, ac deinceps fidelis et utilis permansit.

28. Nepotes quoque Isilberhti servituti regiae se subiciebant, urbibus quas tenebant nichilominus retentis. Kievermont etiam ab Ansfrido et Arnaldo adhuc tenebatur, ad quos Immo mandatum huiuscemodi dirigens ait: *De me non sentio nisi quod vos sentitis, de vobis autem notum est, quia huius gentis principes estis. Nulli ergo dubium, quin duabus manibus quisque magis valeat quam una. Certum est itaque, tres unum fortitudine praecedere. Et nunc quae necessitas cogit, ut serviamus Saxonibus, nisi nostra discordia? Quando vos armis circumdederunt, num victoria laetati sunt? Victoribus certe turpe est servire. Optimum omnium mortalium, qui me a puero nutrivit et inter amicos semper habuit et magna potestate clarificavit, nostrum communem dominum deserui, et Saxoni me periculo capitis mei sociavi; modo, ut scitis, pro merito honore contumelia ab eo affectus, armis circumdatus, pene ex libero servus factus sum. Ut ergo noveritis, me ex fide communi utilitati velle consulere, tibi Ansfrid unicam filiam meam desponsabo, quo nullo apud vos infidelitatis scrupulo notari queam. Date igitur locum mutui colloquii, et ex me ipso fidem probabitis, quam per nuntium necdum potestis.* Ipsi ad haec, quamvis ferrei pectoris essent,

1) cf. Ann. Colonienses a. 939 (Mon. I. p. 98) et Ann. maiores San Gall. a. 940 (ib. p. 78).

et illum iam olim suspectum haberent, tantae tamen calliditati cedentes, suasibilibus emolliti verbis, mutuo dabant locum conspectui. At ille armatos habens locis oportunis absconditos, dolo ambos cepit, et sub custodia regi destinavit, mandato in haec verba pariter directo: *Elatior*[1], inquit, *est mollior, vinclis aut verberibus non indiget, minis pandit universa quae scit. Ansfrid vero durior ferro est, hunc si tormenta acerrima rimentur, magnum est.* Quos cum rex suscepisset, aliquanto tempore custodiae mancipatione castigavit; postea suae gratiae lenitate sibi associans, in pace dimisit. Cum ergo causae causis et res rebus ita copulatae sint, ut sententiarum ordine discerni adeo non debeant, nemo me temporum vicissitudine accuset, dum posteriora anterioribus praeposuerim gesta.

29. Rex igitur vicina sibi semper clementia graves fratris miseratus labores, aliquantis urbibus suis usibus concessis, permissus est intra regionem Lothariorum habitare.

30. Eo tempore barbarorum bellum fervebat. Et cum milites ad manum Geronis praesidis conscripti crebra expeditione attenuarentur, et donativis vel tributariis praemiis minus adiuvari possent, eo quod tributa passim negarentur, seditioso odio in Geronem exacuuntur. Rex vero ad communes utilitates rei publicae Geroni semper iuxta erat. Unde factum est, ut nimis exacerbati, odia sua in ipsum quoque regem vertissent.

31. Quae causa Heinricum minime latuit, et — ut solet, amaris animis dum dulce aliquid offertur, — facile persuadebat huiuscemodi homines sibi concordare, spem habens iterum regnandi, dum nosset exercitum regi offensum. Denique multis intercurrentibus legatis, et munusculis invicem missis, omnes pene orientalium partium milites sibi colli-

1) Arnaldus.

gavit. Quae res ad tantum nefas processit, ut con- 941.
iuratione valida facta, in paschali festivitate, quae erat proxima, cum ipse Heinricus ad palatium adisset, regem occidere cogitassent, ipsi vero regni diadema inponerent. Earum rerum dum non esset publicus proditor, semper se protegente summa divinitate, notae factae sunt regi insidiae modicum ante pascha. Qui fidelium militum vallatus manu die ac nocte, nichilque decoris vel maiestatis regiae coram populo ea sollempnitate minuens, nimium hostibus intulit timorem. Post diem vero sollempnem, consilio maxime Francorum qui eo tempore sibi adstabant, Herimanni scilicet, Udonis atque Conradi qui dictus est Rufus [1], secrete proditos iubet comprehendi vel certe occidi. Inter quos erat primus in caeteris omnium bonarum virtutum rebus absque hac noxa fortissimus optimusque Erich. Hic cum armatos ad se properasse intellexisset, conscius causarum, equum ascendit, arma sumit, circumfususque hostium turmis, memor pristinae virtutis ac nobilitatis, elegit mori quam inimicorum dominationi subici. Nam lancea perfossus occubuit, vir omni virtute ac industria civibus carus atque clarus. Caeteri autem insidiarum conscii in alteram hebdomadam differuntur, et secundum leges sceleribus suis meritas poenas solventes, capite caeduntur. Heinricus autem fugiens regno cessit.

32. Eo anno et portenta quaedam apparuere, scilicet cometae. Nam a quintadecima Kalendas Novembris usque in ipsas Kalendas visae sunt. Quibus visis multi mortales territi, aut nimiam pestilentiam vel certe regni mutationem metuebant; quoniam quidem ante regis Heinrici excessum multa

1) Conradus aut Curcipoldus ille, ducis Eberhardi fratruelis, cum Udone contra Eberhardum et Giselbertum a. 939. missus, a. 948. mortuus, aut Conradus Werinheri filius, post gener regis et dux Lotharingiae, habendus est.

prodigia monstrata sunt, ita ut solis splendor forinsecus aere absque nubilo pene nullus appareret, intrinsecus autem per fenestras domorum rubeus tamquam sanguis infunderetur. Mons quoque, ubi ipse rerum dominus sepultus est, fama prodidit, quia multis in locis flammas evomeret. Hominis[1] etiam cuiusdam manus sinistra ferro amputata, post annum fere integrum restituta est ei dormienti, qui pro signo miraculi sanguinea linea loco coniunctionis notabatur. Sed cometas inundatio nimia, inunda-
942. tionemque boum pestilentia subsecuta est.

943. 33. Defuncto autem Oddone, Lothariorum praeside[2], ac regis nepote Heinrico, ducatus regionis conceditur Conrado, cui et unicam filiam suam rex desponsavit[3], quia erat adolescens acer et fortis, domi militiaque optimus, commilitonibus suis carus.

34. Illis diebus Berhtoldus, frater Arnulfi, procurabat Boioariam, pugnansque contra Ungarios, victorque existens, triumpho celebri factus est clarus[4].

35. Rex autem de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam est contentus, sed abiit Burgundiam, regem cum regno in suam accepit potestatem[5]. Hugonem[6] alterum armis edomuit ac
944. sibi subiectum fecit. Cuius fibulam auream regi dono concessam, gemmarum varietate mirabilem, videmus in altari protomartiris Stephani rutilantem.

1) Hoc miraculum non Heinrici mortis tempore, sed his annis factum esse, ex Flodoardo a. 944 apparet. 2) Oddonem a. 944 mortuum esse, Flodoardus h. a. tradit; Cont. Reginonis mortem in a. 943 collocat. Apud Calmet hist. Loth. Probb. p. 340 legitur, Ottonem diploma Adalberonis ep. confirmasse; notae chronologicae tamen non satis inter se concordant. De Heinrici morte nihil constat. 3) a. 947. Cont. Reg. 4) Berhtoldus iam a. 937 Bawariae dux constitutus, prope Wels Ungarios magna caede prostravit, quae victoria cum Ann. mai. Sangall. in a. 943 collocanda esse videtur, quamvis Cont. Reginonis et Ann. Salisburgenses a. 944 exhibeant. Diem 11. Aug. Aventinus VI, 23, 17. annotavit. 5) Hoc iam diu ante factum esse, ex Flodoardo a. 940 apparet. 6) Hugonem Magnum, quocum his annis Ottonem modo amice modo hostiliter egisse, Flod. tradit.

36. Igitur cum omnia regna coram eo silerent, et potestati ipsius omnes hostes cederent, monitu et intercessione sanctae matris eius recordatus est multis laboribus fatigati fratris, praefecitque eum regno Boioariorum, Berhtoldo iam defuncto[1], pacem atque 945. concordiam cum eo faciens, qua usque in finem fideliter perduravit. Erat autem ipse dominus Heinricus copulatus matrimonio filiae ducis Arnulfi[2], feminae egregiae formae mirabilisque prudentiae. Fratrum vero pax atque concordia, Deo acceptabilis hominibusque amabilis, toto orbe fit iam celebris, dum unanimes res publicas augent, hostes debellant, civibus paterna potestate praesunt. Ducatu igitur Boioariorum accepto, nequaquam desidia torpuit, sed abiens Aquilegiam cepit, Ungarios duabus vicibus armis superavit[3], Ticinum transnatavit, et praeda magna intra regionem hostium capta, exercitum incolumem patriam reduxit. Talium igitur et tantorum mores habitum formamque, quos summa clementia mundo ad delicias omnemque decorem destinavit, nostrae non est omnimodis virtutis exponere. Verum devotionem, quam erga eos habemus, penitus celare nequimus. Ipse denique dominus rerum, fratrum natu maximus optimus, inprimis pietate erat clarus, opere omnium mortalium constantissimus, praeter regiae disciplinae terrorem semper iocundus, dandi largus, dormiendi parcus, et inter dormiendum semper aliquid loquens, quo eum semper vigilare aestimes, amicis nichil negans, et supra hominem fidelis. Nam quosdam audivimus accusatos et peccati manifestos, ipsum eorum advocatum et intercessorem et criminis nullo modo credulum, et ab eo post habitos, tamquam nichil

1) Obiit a. 945 teste Cont. Reginonis; die 23. Nov., si Aventino credere licet (IV, 23, 21). 2) Iudithae. 3) Ungarios a. 950 a Bawariis occisos esse, Annales Hersfeldenses tradunt.

umquam in eum peccassent. Ingenium[1] ei admodum mirandum; nam post mortem Edidis reginae, cum antea nescierit, litteras in tantum didicit, ut pleniter libros legere et intelligere noverit. Praeterea Romana lingua[2] Slavanicaque loqui scit. Sed rarum est, quo earum uti dignetur. In venationibus creber, tabularum ludos amat, equitatus gratiam regia gravitate interdum exercens. Accessit ad haec et moles corporis, omnem regiam ostendens dignitatem, capite cano sparsus capillo; oculi rutilantes et in modum fulguris cita repercussione splendorem quendam emittentes; facies rubicunda, et prolixior barba, et haec contra morem antiquum; pectus leoninis quibusdam sparsum iubis; venter commodus; incessus quondam citus, modo gravior; habitus patrius, et qui numquam sit peregrino usus. Quotienscumque autem sit opus corona portanda, ieiunium semper praecedere pro vero traditur. Heinricus vero morum gravitate pollebat, et ob id ab ignotis minus clemens iocundusque praedicabatur, constanti admodum animo; fidelis et ipse amicis, ita ut mediocris substantiae militem coniugis suae sororis matrimonio honoraret, socium sibi amicumque faceret[3]. Erat corpore praestanti, et qui in adolescentia omnem hominem egregia forma ad se inclinaret. Iunior vero fratrum domnus Brún magnus erat ingenio, magnus scientia et omni virtute ac industria. Quem cum rex praefecisset genti indomitae Lothariorum[4], regionem a latronibus purgavit, et in tantum disciplina legali instruxit, ut summa

1) In sequentibus Widukindum Einhardi vitam Karoli prae oculis habuisse, legenti facile patebit. PERTZ. 2) Non de lingua Latina, quam Ottonem ne intellexisse quidem facile est demonstratu (Flod. a. 948, Liudpr. hist. Ott. c. 11, Ekkehard. de casibus, Mon. II, 139), sed de vulgari Galliae lingua, supra quidem Gallica, alibi vero quam saepissime Romana appellata (Nithard III. c. 5, Hist. litteraire de France Vol. VII. Avertiss. p. XI sqq.) Widukindus dicere videtur. 3) Iudithae soror (Adelheid?) comiti Burchardo nupsit. 4) a. 953.

ratio summaque pax illis in partibus locum tenerent.

37. Igitur cum bella intestina externaque cessarent, leges divinae atque humanae auctorali vigore pollent. Gravisque persecutio monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibusdam pontificibus, melius arbitrati, paucos vita claros quam plures negligentes inesse monasteriis oportere; obliti, nisi fallor, sententiae patrisfamilias prohibentis servos zizania colligere, sed utraque crescere oportere et zizania et triticum usque ad mensem. Quo factum est, ut plures propriae infirmitatis conscii, deposito habitu et relictis monasteriis, grave onus sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam qui summum pontificem Frithericum hoc non pure sed ficte fecisse arbitrati sunt, quatinus venerabilem virum regique fidelissimum abbatem Hadumarum quoquo modo posset dehonestaret.

38. Ipse enim erat vir magnae prudentiae ac industriae. Sub eius temporibus templum famosum Vuldense igne consumptum est[1], et ab eo restauratum et multo maiore decore perfectum. Hic pontificem sub custodia tenuit, secunda coniuratione culpabilem, primum honorifice, sed cum litteras ab eo scriptas reprehendisset, satis severe. Pontifex vero dimissus dum ultionem quaerit, contra tantum virum leges non praevalent, humillima monasteria auctoritate temptavit, ut ad excellentissima aequaliter procederet. Sed huiuscemodi simulationes incassum profusae. Nam abbas in gratia et amicitia regis permansit, et causis intercurrentibus, pontifex quod cogitavit non inplevit.

39. Soror igitur regis[2] Hluthowico regi genuit tres filios, Karolum, Lotharium et Karlomannum. Ipse enim Hluthowicus rex a ducibus suis circum-

1) a. 937; ecclesia nova dedicata est a. 948, v. Flod. h. a. 2) Gerl erga.

ventus, et a Northmannis captus, consilio Hugonis Lugdunum[1] missus custodiae publicae traditur. Filium autem eius natu maiorem Karlomannum Northmanni secum duxerunt Rothun[2]; ibi et mortuus est. Audiens autem rex, super fortuna amici satis doluit, imperavitque expeditionem in Galliam contra Hugonem in annum secundum.

946. 40. Eo tempore cum moraretur rex in campis silvestribus venationem agens, obsides Bolizlavi ibi vidimus, quos populo rex praesentari iussit, satis super eis laetatus.

41. Ille annus notabilis casu calamitoso totius populi, de morte scilicet beatae memoriae Edidis reginae, cuius dies extrema septimo Kal. Februar. celebrata est cum gemitu et lacrimis omnium Saxonum. Haec nata ex gente Anglorum, non minus sancta religione quam regali potentia pollentium stirpe claruit. Decem annorum regni consortia tenuit, undecimo obiit. Saxoniam vero decem et novem annis inhabitavit. Reliquit filium nomine Liudulfum, omni virtute animi et corporis ea aetate nulli mortali secundum; filiam quoque nomine Liudgardam, quae nupserat Conrado duci. Sepulta est autem in civitate Magathaburg in basilica nova latere aquilonali ad orientem.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

AD DOMINAM MAHTHILDAM IMPERATORIS FILIAM

LIBRI TERTII INCIPIT PRAEFATIO.

Quemadmodum coeli terraeque facies, hominum voces, vultus ac mores mille modis concordi discordia

1) i. e. Laudunum, Laon, v. Flod. a. 945. 946. 2) Rothomagus, Rouen.

variantur, sed unius luminis sensusque ducatu, Dei cuncta regentis providentia, coguntur, ita publicis ac privatis rebus intentis imperiale decus, quod te ut serenissimum splendorem gemmamque lucidissimam mundo effudit, unum iustitiae moderamen est normaque rectitudinis. Unde laboris nostri opus, quod a diversis moribus diverse accipitur, eo quod ingenii sermonisque claritate egeat, sinu gloriosae clementiae tuae suscipiatur, nec in eo nostra insipientia, sed maior consideretur devotio, humiliter deposco.

EXPLICIT PRAEPHATIO.

INCIPIUNT CAPITULA.

46. De portentis quae interim acciderunt.
47. De casu Conradi ducis.
48. De tribus ducibus Avarorum.
49. De triumpho regis.
50. De rege et versutiis Wicmanni.
51. De exercitu qui Wicmannum pene cępit in urbe Suitleiscarę.
52. Quomodo capta est urbs Cocarescemiorum.
53. Quomodo ultus est rex illam depopulationem.
54. De Gerone preside.
55. De Stoineffo barbarorum rege et milite qui eum occidit.
56. De rege quia crebris victoriis gloriosus factus est.
57. De Liudulfo quia patria cessit propter amicos.
58. De litteris obitum eius significantibus.
59. De Wicmanno qui Saxoniam occulte intravit.
60. Quomodo fide Geronis susceptus est Wicmannus.
61. De prodigiis quae apparuerunt in vestimentis.
62. De infirmitate imperatoris.
63. De profectione secunda regis in Italiam.
64. De Wicmanno, quomodo iterum rebellavit.
65. De Danis, quomodo christiani perfecte facti sunt.
66. Gero propter iuramentum dimisit Wicmannum.
67. Quomodo Gero Lusiki vicit.
68. De duobus regulis et Wicmanno.
69. De nece Wicmanni.
70. Acceptis armis Wicmanni imperator iam factus, scripsit ępistolam in Saxoniam mittendam.
71. De legatis Grecorum et eorum fraude.
72. De Gundthario et Sifrido.
73. De populo Constantinopolitano et eorum imperatoribus.
74. De Mathilda matre imperatoris et obitu ępiscoporum Bernhardi et Wilhelmi.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER III.

946. 1. Post excessum Edidis reginae omnem amorem maternum transfudit rex in unicum filium suum Liudulfum, factoque testamento creavit eum regem post se. Ipse autem tener adhuc erat adolescens, aetatis non habens amplius quam sedecim annos.

2. Rex vero in Galliam proficiscens expeditionem, coacto apud Camaracam urbem exercitu, festinat intrare regnum Karoli, vindicandae causa iniuriae generi sui Hluthowici. Quo audito Hugo, missa legatione, iurat per patris sui animam, qui iam olim periit Deo regique proprio repugnando, quia tanta sibi esset copia armorum, quantam hactenus rex numquam vidisset; additque contemptum, vane tumideque super Saxones loquendo, quia inbelles essent, et quia facile posset una potione telorum Saxonicorum septem obsorbere. Ad quod rex famosum satis reddit responsum: sibi vero fore tantam" multitudinem pilleorum ex culmis contextorum[1], quos ei praesentari oporteret, quantam nec

1) Subiicimus hic potissimum Ratherii Veronensis episcopi locum, unde pileos stramine confectos Saxonibus proprios fuisse constat; exscripsi eum ex codice regio Monacensi saec. X. fol. 7: *Sanctus iste nuda seminudus et inequalissima volutabatur diebus ac noctibus per septennium humo. Nos criminosi veniam rogaturi, pilleum villosum capillis, quos extrahere lugendo debueramus, ne infrigidemur, superinducimus, eius cuphia nix grando et aura erat imbrifera. Hiemalis satis rigor incommodus, qui lavaret utique quod commiserat scelus. Pro pilleo, quem moris est incesta etiam generalitati adversa vel eiusdem estimationis innumera plangentes, pelliculis exoticis intus farcire, brumali caput ipsius operiebatur lanugine. Stipularis illa ritus Saxonici camera, quam vertici pro vitando solis imponunt ardore, Phoebus illi erat flammivomus ipse.* PERTZ.

ipse nec pater suus umquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, non est inventus, qui huiusmodi non uteretur tegumento, nisi rarissimus quisque. Certus autem factus de adventu regis Huga, timore quoque perterritus, dimisit Hluthowicum.

** tantam multitudinem pilleorum foeninorum, quos ei praesentari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus umquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, fere non est inventus, qui foenino non uteretur pilleo. (A.)

** tantam multitudinem pilleorum foeninorum, quos ei praesentari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus umquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, non est inventus, qui foenino non uteretur pilleo, nisi Corbeius abbas, nomine Bovo, cum tribus suis sequacibus. Hic erat vir sapiens ac clarus, a Deo nobis ostensus, non concessus[1]. Huius patris avus Bovo[2] Graecas litteras coram Cuonrado rege legendo factus est clarus; et huic eiusdem nominis avus erat, ut natu maior, omni virtute ac sapientia potior. Sed et ipse nepos erat Warini, qui ex milite factus est monachus et primus omnium apud Novam Corbeiam regulariter electus est in patrem. Qui cum esset admirandae sanctitatis, ad augmentum virtutum suarum beataeque memoriae Saxoniae preciosum attulit thesaurum, reliquias videlicet pretiosi martiris Viti. (2. 3.)

Dimissus igitur Hluthowicus regi occurrit, iungiturque cum sociis exercitui illius.

3. Rex autem cum exercitu Lugdunum adiit, eamque armis temptavit, inde Parisius perrexit, Hugonemque ibi obsedit, memoriam quoque Dyonisii martiris digne honorans veneratus est. Ductus inde exercitus contra urbem Remensem, ubi erat nepos Hugonis contra ius fasque omne subrogatus episcopus, legitimo pontifice[3] adhuc superstite. Ar-

1) Nam nonnisi 6 annos monasterio praefuit a. 942—948. 2) Bovo, ut ex Annalibus Corb. patet, abbas 900—916 fuit; Conradus rex vero anno 913 Corbeiam visitavit; senior Bovo denique a. 789—890 abbatiam rexit. 3) Artoldo

mis autem urbem capiens, iniuste constitutum expulit sacerdotem, legitimum ecclesiae sedique propriae restituens.

4. Exinde, collecta ex omni exercitu electorum militum manu, Rothun Danorum urbem adiit[1], sed difficultate locorum, asperiorique hieme ingruente, plaga eos quidem magna percussit; incolumi exercitu, infecto negotio, post tres menses Saxoniam regressus est, urbibus Remense atque Lugduno cum caeteris armis captis Hluthowico regi concessis.

947. 5. Huga autem expertus potentiam regis virtutemque Saxonum, non passus est ultra terminos suos hostiliter intrare, sed pergenti in eandem expeditionem anno sequenti, occurrit[2] iuxta fluvium qui dicitur Char[3], manus dedit, iuxtaque imperium regis pactum iniit, utilisque proinde permansit.

6. Videns autem rex filium suum Liudulfum virum factum, dedit ei coniugem divitiis ac nobilitate claram, ducis Herimanni filiam, nomine Idam. Quam cum accepisset, in brevi post haec socer
949. moritur, cum ducatu omni ei possessione relicta.
Dec. 10. Accepta autem potestate, animum tranquillum, quem in puero gessit, exuit, armatumque militem in
950. Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis et sub custodia traditis, ipse revertitur in Franciam.

7. Eo tempore usurpato imperio, regnavit in Longobardia homo ferus et avarus, et qui omnem iustitiam pecunia venderet, Bernharius[4]. Veritus autem singularis prudentiae reginae virtutem, a Hluthowico rege[5] relictae, in multis eam afflixit, quo tanti decus splendoris extingueret, vel certe obscuraret.

8. Illo tempore rex proficiscitur in militiam contra Bolizlavum regem Boemiorum, et cum capienda

1) cf. Dudo lib. III. p. 130 sqq. 2) intrante mense Augusto, cf. Flod. a. 947. 3) Chiers. 4) i. e. Berengarius. 5) Lotharii vidua fuit.

esset urbs quae nuncupabatur Nova[1], in qua clausus obsidebatur Bolizlavi filius, prudenti rex consilio diremit proelium, ne miles in rapiendis hostium spoliis aliquod periculum incideret. Considerata itaque virtute regis ac innumera multitudine exercitus, Bolizlav urbe egressus, maluit tantae maiestati subici, quam ultimam perniciem pati; sub signisque stans, et regem audiens responsaque reddens, veniam tandem promeruit. Inde plena victoria gloriosus factus rex, Saxoniam regreditur.

9. Cumque eum virtus praefatae reginae non 951.
lateret, simulato itinere Romam proficisci statuit. Cumque in Longobardiam ventum esset, aureis muneribus amorem reginae super se probare temptavit. Quo fideliter experto, in coniugium sibi eam sociavit, cumque ea urbem Papiam, quae est sedes regia, obtinuit. Quod cum vidisset filius eius Liudulfus, tristis a rege discessit, profectusque in Saxoniam, aliquamdiu moratus est in loco consiliis funesto Salaveldun.

10. Rex vero in Italia celebratis iuxta magnificentiam regalem nuptiis, proficiscitur inde cum novi matrimonii claritate, acturus proximum pascha in Saxonia, laetitiam patriae magnamque gratiam conferens. Persuasus quoque rex Bernharius a Conrado duce, cui Papia cum praesidio militari relicta erat custodienda, regem subsecutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus, et omnibus quae imperavisset obtemperaturus. Cui regiae urbi[2] appropinquanti, occurritur miliario ab urbe a ducibus et praefectis palatinorumque primoribus, et regaliter susceptus, ductus in urbem, iussus est in hospitio sibi parato manere. Neque enim faciem regis intra

1) Niuunburg, in cuius suburbio, Beheim, Otto 17. Kal. Aug. donationem pro S. Emmerammo edidit, urbs vel a. 1343 Neumburge appellata, hodie Niemburg vel Nimburg ad confluentem Albiae et Marlini ab oriente Pragae. BOEHMER. 2) Magadaburg.

tres dies videre promeruit. Quod aegre ferens Conradus, qui eum adduxerat, unumque cum eo sentiens filius regis Liudulfus, suspectum super hac causa Heinricum, fratrem regis, habentes, quasi antiqua stimulatum invidia, devitaverunt eum. Heinricus autem sciens adolescentem maternis destitutum suffragiis, contemptui coepit eum habere, in tantum ut a conviciis ei quoque non parceret. Interea rex regem alloquitur, in gratiamque regis ac reginae susceptus, deditionis sponsionem dat, foederisque spontanei diem locumque apud urbem Augustanam designans.

952. Aug. 11. Ubi cum conventus fieret, Bernharius manus filii sui Adalberhti suis manibus inplicans, licet olim Hugonem fugiens regi subderetur, tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatui regis se cum filio subiugavit. Et ita dimissus, in Italiam remeavit cum gratia et pace. Ibi mirae magnitudinis lapis grandinis tonitru ac tempestate turbulenta de coelo iactus, ingens miraculum multis visentibus praebuit.

12. Nati sunt autem regi filii ex serenissima regina primogenitus Heinricus[1], secundus Brún[2], tertius paterni nominis maiestate designatus[3], quem iam post patrem dominum ac imperatorem universus sperat orbis; filiam quoque sanctae matris eius vocabulo insignitam[4], de qua non praesumimus aliquid dicere, cum eius claritas praecellat omne quod dicere aut scribere valemus.

953. 13. Enimvero rex cum regiones Francorum urbesque circuiret, audivit, quia ei insidiae pararentur a filio generoque; quapropter summus pontifex

1) Quo anno natus et mortuus sit, non constat; a. 953 tamen filii mentio fit (Flod. h. a.). Diem mortis 7. Aprilis Necrologium Merseburgense indicavit. 2) Brun obiit d. 8. Sept. a. 957. Necrolog. Fuld. 3) Otto filius natus est a. 955, Cont. Reginonis. 4) i. e. Mathildis, quam Annal. Quedl. et ipsam a. 955 natam fuisse tradunt.

revocatus, ubi austeriorem vitam more solito cum heremitis et solitariis ante pascha agebat, suscepit regem Mogontiae, ibi ei aliquamdiu ministrans. Nefanda consilia prodita, a filio generoque animadversa; purgandi locum criminis cum consilio pontificis petunt et inpetrant. Qui licet sceleris manifeste arguerentur, paruit tamen rex eorum sententiis in omnibus, locorum temporumque angustia.

14. Et cum apparatus paschalis apud Aquas fieri oporteret, comperit, quia nichil sibi dignum ibi paratum esset[1]; maternis gaudiis et officiis decenter curatur, regemque quem in Francia pene perdidit, in patria magnifice recepit.

15. Nam confortatus amicorum gentisque propriae praesentia, irritum fecit pactum, quod coactus inire confessus est; edictumque est filio generoque, auctores sceleris puniendos tradere, aut certe hostes publicos nosse. Pactis pristinis pontifex intercessit, tamquam paci et concordiae consulturus; ob id regi fit suspectus, amicis regalibus consiliariisque omnimodis spernendus. De eo nostrum arbitramur nequaquam aliquid temere iudicare; sed quod de eo probamus, quia magnus erat in oratione die noctuque, magnus elemosinarum largitate, praecipuus verbo praedicationis, non silere dignum duximus; caeterum de accusatis causis qui iudicat Dominus est.

16. Earum rerum dum ibi finis non fieret, universalis populi conventus esse iubetur apud villam quae dicitur Fridesleri, super his causis discutiendum. Ubi cum frater regis Heinricus adesset, multas ac graves causas summo pontifici obiciebat; propterea que regis totiusque pene exercitus offensam incurrit, dum eum penitus culpabilem ex illius dictis

1) Hoc loco quamvis non addendum, cum Reineccio tamen supplendum esse videtur: *Quare cum in Saxoniam perrexisset*; cf. Cont. Reg. a. 953.

censerent. Praeterea rex severiorem animum gerens ex recenti iniuria, eminentissimos viros ac sibi quondam caros et in Biertanico bello fideles, fratri traditos exilio dampnavit, dum accusati rationem redderent, nec se purgare sufficerent. Hi erant Thuringi genere, potestatis praefectoriae, Dadanus[1] et Willehelmus nomine. Hoc facto multi scelerum conscii satis perterriti. Soluta contione, multitudine dimissa, sese rex in orientales partes contulit.

17. Lotharii autem, cum regem duci Conrado sensissent offensum, cum iam olim ei infesti essent, eo quod ducatum super eos administraret ipsis invitis, arma contra eum sumunt. Ille vero inperterritus, leoninum exerens animum, signa signis contraria invexit, et incredibilem multitudinem ex eis propria manu fudit, dum sanguine amici, quem in proelio amisit, Conradi scilicet Evurhardi filii, ut fera saevissima acueretur. Itaque illi fortissimo subpeditante fortium militum manu, adverso exercitui dum novus semper additur, a meridie usque in vesperum protrahitur bellum; nocte proelium dissolvitur, nullus victoria laetatur.

18. Rex autem circa Kalendas Iulii moto exercitu, armis filium generumque quaerere temptavit; obvias urbes partis adversae aut armis cepit aut in deditionem accepit, quousque Mogontiam perveniret, quam filius cum exercitu intravit, patremque, dictu miserabilius, armatus expectavit. Ibi plus quam civile et omni calamitate acerbius bellum coeptum; multae machinae muris admotae, sed ab urbanis destructae vel incensae; crebrae ante portas pugnae, raro forinsecus stationes fusae. Cunctando enim res universae variavere, dum dominatorem regni foris,

1) Dadanus procul dubio idem, quem supra (II, 18) Dadi nominavit; cf. Wedekind Noten I. p. 205.

intus successorem metuebant. Obsidio itaque dum sexaginta ferme dies excederet, sermo fit de pace; unde datus est obses in urbem consobrinus regis[1] Ecberhtus, quo libera via cuilibet pateret in castra crimen purgandi, de pace atque concordia tractandi. Filius cum genero castra ingressi, regalibus vestigiis prosternuntur, pro scelere omnia sustinere paratos fore, saltem ut amici auxiliatores in fide suscepti, nichil adversi paterentur. Rex autem non inveniens, quomodo meritas poenas filio inferret, fautores insidiarum expostulat. Illi autem iuramentis vicariis obligati, et quodammodo arte antiqui hostis constricti, hoc omnino negabant. Ingens interea oritur laetitia in castris, et a castris circumquaque fama diffusa, numquam urbe egressos, nisi omnibus essent a rege imperatis obtemperaturi. Eae spes incassum conceptae; nam cum non oboedirent edictis regis, motus Heinricus adversus adolescentem: *Nichil te*, inquit, *iactitas contra dominum meum regem fecisse, et ecce omnis exercitus usurpatorem te regni invasoremque novit. Ipse ergo si accusor reus criminis, si culpabilis existo, quare non contra me legiones ducis? Signa adversum me move;* et festucam de terra sumens: *Huius*, inquit, *pretii a me meaque potestate rapere non poteris. Quid tibi visum est sollicitare huiuscemodi rebus patrem tuum? Contra summam divinitatem agis, dum domino patrique tuo repugnas. Si aliquid scis vel vales, in me furorem tuum evome, ipse enim tuam non timeo iram.* Ad haec adolescens nichil respondit, sed audito rege, cum suis urbem ingressus est.

19. Consobrinus autem regis Ecberhtus cum obses datus esset in urbem, suasibilibus corruptus verbis, regi fit aversus, cum et antea ei iratus esset,

1) De cognatione eius cf. Ann. Quedl. a. 955; ipsum et Wichmannum iuniorem fratres fuisse, Scheidt Orr. Guelf. IV. p. 568 sqq. n. probavit.

eo quod argueretur incauti certaminis, ubi oculum perdidisset[1].

20. Dum haec agerentur, proxima nocte Boioarii comites fratris regis, relicto eo, iuncti sunt Liudolfo; qui pergens cum eis, cepit urbem regiam quae dicitur Rainesburg cum caeteris in ea regione munitissimis; omnemque pecuniam ducis suis militibus divisit, coniugem cum filiis patrui et amicis non solum urbe sed et regione excedere cogit. Haec omnia a Deo credimus acta, ut qui serenissimum regem plurimis populis ac gentibus praeficere voluit, disceret parum in se, in Deo vero omnia posse.

21. Erat autem iunior Arnulfus cum fratribus, qui tale consilium machinatus est contra Heinricum, eo quod paterno regno subrogaretur, ipse autem honore patrio privatus esset. Porro exercitus diutino labore fatigatus, missionem petit et accipit, rege cum paucis admodum filium in Boioariam subsequente.

22. Ipse namque erat patiens laborum, supra quam credi possit de homine ab adolescentia delicate nutrito. Multitudine denique deficiente a fide, rari admodum erant, qui partes regis adiuvarent; inter quos erat quidam Adalberhtus[2] et alii cum eo admodum pauci.

23. Militante adversum Mogontiam rege, Herimannus dux Saxoniam procurabat[3]. Cum novus exercitus a Saxonia ad supplementum veteris mitti debuisset[4], Thiadricus[5] iuniorque Wichmannus ei

1) Inde monoculus saepius a recentioribus nominatur. 2) comes Sueviae potens. 3) Hermanno idem quod supra (II, 2.) Sigifrido tribuitur; neque tamen tunc temporis dux fuit constitutus (Wedekind Noten II. p. 357). 4) Quae de Thiadrici et Wichmanni expeditione narrantur, iam antea gesta sint oportet; nam Liudulfus tunc Radasponam, Conradus Metim se receperat, neque iuncti obviam his copiis ire potuerunt. Exercitum non in Bawariam sed Franciam ductum esse, Wid. ipse indicat, et fortasse e cap. 25. coniicere licet, iam ante Ecberti defectionem haec acta esse. Hoc loco referuntur, ut Saxoniae motus causae appareant. 5) Thiadricus idem esse

praefuere. Attingentes terminos Francorum, a Liudulfo duceque Conrado subito circumfusi, in desertum quoddam coguntur castellum. Quod cum obpugnare nituntur, iactu rotae signifer ante portam brachium perdidit; quo facto bellum est sedatum, indutiaeque concessae trium dierum in Saxoniam revertendi.

24. Thiadricus a Liudulfo magnis promissionibus est temptatus, Wichmannus autem admodum corruptus, patruum[1] exin arguere, paternae hereditatis raptorem dicere et suorum thesaurorum praedonem vocare coepit. Ipse autem consilii nequaquam ignarus, quanta sapientia quantaque prudentia contra propinquos et hostes manifestos vigilaverit, difficile est omnimodis edicere.

25. Iungitur quippe Ecberhtus Wichmanno, eademque sententia consurgunt in ducem, nullumque ei dant quietis otium. Ille autem nobili patientia iuvenum furorem frangens, cavet tumultum aliquem rege absente illis in partibus accrescere.

26. Boioarii repentino regis adventu nec ad pacem vertuntur, nec bellum publicum praesumunt, sed clausi muris grandem exercitui laborem suaeque regionis solitudinem parant. Unde minus procedente negocio, absque animabus exercitus a nulla re abstinebat, sed omnia vastabat.

27. Summus pontifex interea, ut ipse aiebat timore regis, officio pontificali amisso, heremiticam cum solitariis ducebat vitam. Non minima quoque caeteris pontificibus cunctatio erat in Boioaria, dum favent partibus nunc regi assistendo, nunc alienas partes adiuvando, quia nec sine periculo alienabantur a rege, nec sine sui detrimento ei adhaerebant.

videtur, qui Geroni in marchia septentrionali regenda successit. Wichmannus filius fuit Wichmanni, cuius II. c. 4. et 11. mentio fit.
1) Hermannum.

28. Agens tres integros menses, a Mogontia recedens, rex in illis regionibus, demum circa Kalend. Ianuar.[1], infecto negotio, amissis duobus principalibus viris ac potestate claris, Immede et Mainwerco, quorum uterque ictu sagittarum periit, alter Mogontiae, alter in itinere Boioariam pergentibus, revertitur in Saxoniam.

29. Causas dicentibus coram rege Herimanno suisque nepotibus, omnes iusti tenaces sententiam ducis laudavere, adolescentes castigandos iudicantes. Rex autem amans parcebat illis, sub custodia militari tantum intra palatium tradens Wichmannum.

30. Interea audit, quia Avares intrantes Boioariam, iungerentur adversariis, disponerentque publico bello eum temptare. At ille satis inperterritus tali necessitate, numquam se gratia Dei dominum ac regem oblitus est, sed collecta valida manu, obviam procedit acerrimis hostibus. Illi autem divertunt ab eo, acceptisque ducibus a Liudulfo, omnem Franciam pervagati sunt, et tantam stragem dederunt, primum amicis, ut cuidam Ernusto vocabulo, qui erat partis adversae, sui iuris familias supra millesimum numerum captivassent, deinde caeteris omnibus, ut dictu fidem excedat. Dominica ante pascha Wormatiae eis est publice ministratum, et muneribus auri et argenti plurimum donatum. Inde Galliam profecti, per aliam viam in patriam revertuntur.

31. Boioarii civili exercitu externoque fatigati — nam Ungariis egressis, exercitu regali premuntur — coacti sunt de pace tractare; factumque est, ut pax daretur usque in 16. Kalend. Iulii, et locus esset apud Cinnam[2] rationis dandae et responsionis reddendae.

1) i. e. die 14—31. mensis Decembris; natalem Domini rex iam in Saxonia celebravit. Cont. Reg. a. 954. 2) Langen-Zenn prope Nürnberg.

32. Ad condictum locum dum universalis populi conventus fieret, talem rex orationem exorsus est: *Paterer*, inquit, *si indignatio filii mei caeterorumque insidias tendentium me solum torqueret, et non totum christiani nominis populum perturbaret; parum esset, urbes meas more latronum invasisse, regionesque a mea potestate rapuisse, nisi propinquorum meorum ac carissimorum comitum sanguine satiarentur. Ecce sine filiis sedeo orbatus, dum filium gravissimum hostem patior. Quem*[1] *plurimum amavi et a mediocri loco ad summum gradum summumque honorem provexi, unicum filium meum habet adversum me. Tolerabile hoc utcumque foret, si non Dei hominumque inimici his causis introducerentur. Modo regnum meum habent desolatum, populum captum vel interfectum, urbes destructas, templa succensa, sacerdotes extinctos; adhuc madent sanguine plateae; auro meo et argento, quibus filium generumque ditavi, hostes Christi sedes suas remeunt referti. Quid igitur supersit sceleris, quid perfidiae, excogitare nequeam.* His dictis, tacuit rex. Heinricus laudans sententiam regis, subiunxit, quia hostes secundo victi publico certamine, maligne ac pessime conducerentur, quo via eis iterum laedendi aperiretur; omnem calamitatem omnemque laborem consultius velle pati, quam communem hostem umquam in fidem susciperet. His dictis, Liudulfus procedens ait: *Conductos adversum me pecunia, fateor, obtinui, ne me michique subiectos laederent; si in hac parte culpabilis praedicor, sciat me omnis populus hoc non voluntarie, sed ultima necessitate coactum fecisse.* Postremum pontifex summus rationem redditurus intravit, promittens, se quocumque rex imperavisset iudicio significaturum, numquam contra regem sensisse vel velle vel fecisse; timore coactum a rege discessisse, offensum sibi eum quia intellexisset, inno-

1) scil. Conradus dux.

centem gravissimis accusationibus obrutum; de caetero iuramentorum omnibus argumentis fidem servaturum. Ad haec rex: *A vobis non exigo iuramentum, nisi pacis et concordiae consilium, in quantum possitis, adiuvetis.* Et hoc dato, in fide ac pace eum dimisit.

.33. Pontifex cum duce Conrado cum adolescentem non possent inclinare, quatinus patri subderetur eiusque sententiam secutus sustineret, discesserunt ab eo, Deo regique sese iungentes.

34. Proxima nocte Liudulfus cum suis a rege discedens, urbem Rainesburg cum exercitu intravit. Rex autem sequens filium, urbem offendens quae dicitur Horsadal[1], obsedit eam.

35. Facta autem pugna, durius certamen circa murum nemo umquam viderat mortalium. Multi ibi ex utraque parte caesi, plures sauciati; noctis tenebrae proelium dirimere. Saucius ancipiti bello postera luce ducitur inde exercitus, diutius ibi non morari visum ad graviora tendentibus.

36. Trium dierum itiner proinde ad Rainesburg. Castrorum loca occupata munitionibusque circumsepta, obsidio urbis diligenter est incepta. Sed cum multitudo machinas muris adplicari non sineret, satis dure interdum ab utrisque pugnatum pro muris. Diu tracta obsidio cogit clausos belli negotiis aliquid actitare. Arbitrati sunt enim fame peius torqueri, si ad id cogerentur, quam in acie fortiter mori. Iussum itaque, occidentali porta erumpere equites, quasi inpetum in castra facturos, alios naves ascendere, et per flumen urbi contiguum, dum equestri proelio pugnaretur, castra armatis deserta invaderent. Urbani signo nolae congregati, condicta peragere; quod in castris usu non ignotum. Quapropter et ipsi non segniter praeparantur. Moram facientibus in erumpendo equitibus, classis

1) Rossthal in praefectura Cadolzburg.

ab urbe longius elabitur, exsilientesque de navibus irruunt in castra, offendentesque armatos, dum trepidi fugae consulunt, circumfusi undique caeduntur. Alii naves ingredi nisi, timore perculsi deviantes, flumine absorbentur; alii naves plus aequo ingressi, dimerguntur, factumque est, ut vix pauci de pluribus superessent. Equites vero ab equitibus fatigati devictique, plures saucii, in urbem coguntur. Miles regius victor in castra reversus, unum solummodo letali vulnere percussum pro portis secum revehunt. Pecus omne urbis loco herboso delatum, qui erat inter Rain et Donov fluvios, sed a fratre regis Heinrico captum, et inter socios divisum est. Urbani crebris proeliis triti, fame quoque periclitari coeperunt.

37. Unde egressus urbe Liudulfus cum principalibus viris, pacem postulat, sed non inpetrat, quia patri obedientiam negat. Ingressus vero urbem, portam orientalem obsidentem armis temptat Geronem, tot victoriis quot proeliis clarum. A tertia hora usque in nonam acriter pugnatum; ante portam urbis, equo cadente, ascensor Arnulfus armis exutus ilicoque telis perfossus occubuit. Post biduum a muliere famem urbis fugiente mors illius notificatur, dum antea incertum esset. Cuius morte urbani satis confusi, iam de pace tractabant.

38. Interventu proinde principum iterum Liudulfus cum sociis urbe egressus, dum mense integro et dimidio obsideretur, pacem obtinuit usque ad condictum diem, dum de his causis diiudicaretur; locusque concilii apud Fridesleri notabatur. Rex inde patriam reversus.

39. Heinricus vero Novam urbem obtinuit; Rainesburg pene omnis proxima nocte concremata.

40. Exercitandi gratia venationem agens rex in loco qui dicitur Suveldun [1], filius patri nudatis plan-

1) fortasse Saufeld in districtu Berka ad Ilmam in terra Wimariensi.

tis prosternitur, intima tactus poenitentia; oratione flebili patris primum, deinde omnium praesentium lacrimas extorquet. Amore itaque paterno susceptus in gratiam, spondet se obtemperaturum consensurumque omni paternae voluntati.

41. Interea summus pontifex aegrotasse nunciatur ac desperari. Quapropter regis placitum modice est dilatum. Finem summi pontificis qui interfuere satis laudabilem praedicant. Defuncto pontifice, universalis conventus populi celebratus; Mogontia post annum et dimidium regi tradita cum omni Francia; filius ac gener in gratiam suscepti, qua et in finem usi sunt fideliter.

42. Eo anno Slavi qui dicuntur Uchri a Gerone cum magna gloria devicti, cum ei praesidio esset dux Conradus a rege missus. Praeda inde ingens ducta; Saxoniae laet'tia magna exorta.

955. 43. Proximum agens rex pascha cum fratre, ducit post haec exercitum contra Rainesburg, iterum armis machinisque urbem torquens. Dum praesidio Saxonum destituitur ac fame vexatur, portis urbani egressi, cum urbe tradiderunt semet ipsos regi. Qui principes exilio dampnans, reliquae multitudini parcit, victoriaque gloriosus remeavit in patriam, omni regione Boioarica fratri restituta.

44. Ingressusque Saxoniam circa Kal. Iulii, obvios habet legatos Ungariorum, tamquam ob antiquam fidem ac gratiam eum visitantes, re autem vera, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis considerantes. Quos cum secum aliquantis diebus retinuisset et aliquibus munusculis donatos remisisset in pace, audivit a nuntiis fratris, ducis scilicet Boioariorum: *Quia ecce Ungarii diffusi invadunt terminos tuos, statuuntque tecum inire certamen.* His auditis rex, quasi nichil laboris praeterito bello toleravisset, coepit ire contra hostes, sumptis secum paucis admodum ex Saxonibus, eo quod iam bellum

Slavanicum urgeret. Castris positis in confiniis Augustanae urbis, occurrit ei exercitus Francorum Boioariorumque; cum valido quoque equitatu venit in castra Conradus dux, cuius adventu erecti milites, iam optabant non differre certamen. Nam erat natura audacis animi, et quod rarum est audacibus, bonus consilii, et dum eques et dum pedes iret in hostem, bellator intolerabilis, domi militiaque sociis carus. Igitur ab utriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur non longe exercitus ab altero fore. Ieiunio in castris praedicato, iussum est omnes in crastino paratos esse ad bellum. Primo Aug. 10.
diluculo surgentes, pace data et accepta, operaque sua primum duci, deinde unusquisque alteri cum sacramento promissa, erectis signis procedunt castris, numero quasi octo legionum. Ducitur exercitus per aspera et difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam et secundam tertiamque legionem direxerunt Boioarii, quibus praefuerunt praefecti ducis Heinrici; nam ipse bello interim aberat, eo quod valitudine corporis laborasset, qua et mortuus est[1]. Quartam ordinavere Franci, quorum rector ac procurator erat dux Conradus. In quinta, quae erat maxima, quae et dicebatur regia, ipse princeps vallatus lectis ex omnibus militum milibus alacrique iuventute, coramque eo angelus, penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam et septimam construxerunt Suavi, quibus praefuit Burghardus, cui nupserat filia fratris regis[2]. In octava erant Boemi electi milites mille, armis potius instructi quam fortuna; in qua et sarcinae omnes ac inpedimenta quaeque, quasi ipsa esset tutissima, quae esset novissima.

1) Obiit die 1. Novembris. 2) Burchardus, filius, ut videtur, ducis Burchardi a. 926 occisi, filiam Heinrici Hadwigem duxit, et Liudulfo deposito, a. 955 ducatum Sueviae recepit.

Sed aliter res acta est ac arbitrabatur; nam Ungarii nichil cunctantes, Lech fluvium transierunt, circumeuntesque exercitum, extremam legionem sagittis lascessere coeperunt, et inpetu cum ingenti vociferatione facto, aliis caesis vel captis, sarcinis omnibus potiti, caeteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi, plurimis ex eis fusis, in fugam verterunt. Rex autem cum intellexisset, bellum ex adverso esse et post tergum novissima agmina periclitari, misso duce cum quarta legione, captivos eripuit, praedam excussit, latrocinantiaque hostium agmina proturbavit. Fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus, signis victricibus dux Conradus ad regem revertitur; mirumque in modum cunctantibus veteranis militibus, gloria victoriae assuetis, cum novo milite et fere bellandi ignaro triumphum peregit.

45. Dum ea geruntur in Boioaria, varie pugnatum est a praeside Thiadrico[1] adversus barbaros. Cum capere nisus esset quandam urbem illorum, usque introitum portae persecutus est adversarios, cogens illos intra murum, oppido potito et incenso, et omnibus quae foras murum erant captis vel interfectis. Cum iam incendio extincto reverteretur, et paludem, quae erat urbi adiacens, medietas militum transisset, Slavi videntes nostros in arto sitos ob difficultatem loci, nec copiam habere pugnandi nec locum adeo fugiendi, insequebantur a tergo revertentes clamore magno. Peremerunt ex eis ad quinquaginta viros, foeda fuga nostrorum facta.

955. 46 Ingens interea pavor omnem Saxoniam trepidam pro rege et exercitu eius pro hac re adversa invasit. Terrebant nos praeterea portenta inusitata.

1) cf. c. 23; praeses a Widukindo idem qui marchio dici videtur, cf. II, 30. III, 54. 67. de Gerone, III, 51. de Heinrico; II. c. 33. Oddo Lothariorum dux hoc nomine appellatur.

Templa denique plerisque in locis tempestate valida 955.
concussa visentibus et audientibus horrorem nimium
incussere; utriusque sexus sacerdotes ictu fulminis
interierunt, et alia multa illo tempore contigerunt
dictu horrenda et propterea nobis praetereunda.
Totum pondus proelii ex adverso iam adesse con- Aug.
spiciens rex, exhortandi gratia allocutus est socios 10.
hoc modo: *Opus esse nobis bonorum animorum in*
hac tanta necessitate, milites mei, vos ipsi videtis, qui
hostem non longe sed coram positum toleratis. Hac-
tenus enim inpigris manibus vestris ac armis semper
invictis gloriose usus, extra solum et imperium meum
ubique vici, et nunc in terra mea et regno meo terga
vertam? Superamur scio multitudine, sed non virtute,
sed non armis; maxima enim ex parte nudos illos
armis omnibus penitus cognovimus, et quod maximi
est nobis solatii, auxilio Dei. Illis est sola pro muro
audatia, nobis spes et protectio divina. Pudeat iam
nunc dominos pene totius Europae inimicis manus
dare. Melius bello, si finis adiacet, milites mei, glo-
riose moriamur, quam subiecti hostibus vitam ser-
viliter ducamus, aut certe more malarum bestiarum
strangulo deficiamus. Plura loquerer, milites mei, si
nossem verbis virtutem vel audatiam animis vestris
augeri. Modo melius gladiis quam linguis colloquium
incipiamus! Et his dictis, arrepto clipeo ac sacra
lancea, ipse primus equum in hostes vertit, fortis-
simi militis ac optimi imperatoris officium gerens.
Hostium audaciores primum resistere, deinde ut
socios viderunt terga vertere, obstupefacti nostris-
que intermixti, extinguuntur. Caeterorum vero alii,
equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfusi-
que armatis, cum moeniis pariter concremantur;
alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa ul-
terior ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur
et pereunt. Eo die castra invasa, captivique omnes
erepti; secundo die ac tertio a vicinis urbibus reli-

qua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus evaderet. Sed non adeo incruenta victoria fuit de tam saeva gente.

47. Conradus quippe dux fortiter pugnans, animi fervore solisque ardore, qui eo die nimius erat, accensus aestuat, vinclisque solutis, dum auram captat, vulnere sagittae adverso gutturis defixae cadit. Cuius corpus iuxta regis imperium honorifice collectum transportatur Wormatiam, ibique sepelitur vir omni virtute animi et corporis magnus atque famosus, cum fletu et planctu omnium Francorum.

48. Tres duces gentis Ungariae capti, ducique Heinrico praesentati, mala morte, ut digni erant, multati sunt; suspendio namque crepuerunt.

49. Triumpho celebri rex factus gloriosus, ab exercitu pater patriae imperatorque appellatus est. Decretis proinde honoribus et dignis laudibus summae divinitati per singulas ecclesias, et hoc idem sanctae matri eius per nuntios demandans, cum tripudio ac summa laetitia Saxoniam victor reversus, a populo suo libentissime suscipitur; neque enim tanta victoria quisquam regum intra ducentos annos[1] ante eum laetatus est. [Nam ipsi bello Ungarico aberant, Slavanico certamini reservati.]

50. Igitur, ut supra retulimus, cum deficeret in ratione reddenda contra suum patruum Wichmannus, intra palatium custoditur. Cum vero rex in Boioariam proficisci vellet[2], simulata infirmitate, ipse iter negavit; unde monitus ab imperatore, quia destitutus a patre et matre loco filiorum eum assumpserit, liberaliterque educaverit, honore paterno promoverit, rogatque, ne ei molestiam inferret,

1) De Karoli Martelli victoria a. 732 de Sarracenis reportata cogitasse videtur. 2) Loquitur de expeditione anno 954, Ungariis fugatis, suscepta (c. 31).

cum alia plura gravaretur. Ad haec nichil utile audiens imperator discessit, commendato eo Iboni comiti. Aliquantis diebus cum eo degens, petit post haec venandi gratia silvam ire liceret. Ibi absconditos socios secum sumens, perrexit in patriam, et occupatis aliquibus urbibus, iuncto sibi Ecberhto, arma sumit contra imperatorem. Industria autem ducis Herimanni facile eos oppressit, trans Albiamque coegit. Illi cum se sensissent duci resistere non posse, sociaverunt sibi duos subregulos barbarorum[1], Saxonibus iam olim infestos, Naconem et fratrem eius.

51. Ductus exercitus a duce, reperti sunt in urbe quae dicitur Suithleiscranne[2]; et pene erat, ut cum urbe caperentur, nisi clamore cuiusdam citarentur, et ad arma prosilirent; caesis tamen ante portam urbis ad quadraginta armatis, caesorumque spoliis potitus dux Herimannus discedit. Erant autem qui eum adiuvarent Heinricus praeses cum fratre Sifrido, viri eminentes et fortes, domi militiaque optimi. Facta sunt autem haec initio quadragesimalis ieiunii.

52. Barbari vero post proximum pascha irruunt in regionem, ducem habentes Wichmannum, ad facinus tantum, non ad imperium; nullam moram agens sed et ipse dux Herimannus, cum praesidio militari adest, vidensque exercitum hostium gravem, sibique parvas admodum belli copias affore, civili bello urgente, arbitratus est consultius differre certamen in dubiis rebus constitutis, multitudinique imperare, quae maxima in unam urbem confluxerat, dum caeteris diffiderent, quoquo pacto possent, pacem expostularent. Quod tamen consilium milites aegre valde tulerunt, et maxime Sifridus, qui erat bellator acerrimus. Faciunt tamen

1) cf. Ann. mai. Sangall. a. 955. 2) fortasse Schwedt.

cives Cocarescemiorum[1], ut dux imperaret, pacemque eo pacto obtinent, quo liberi cum uxoribus et natis supra murum inermes ascenderent, conditione servili et omni suppellectili in medio urbis hostibus relicta. Cum intra urbem irruerent barbari, quidam illorum suum mancipium agnoscit in cuiusdam liberti uxore; quam cum rapere de manu viri niteretur, ictum pugni accipit, irritumque pactum ex parte Saxonum proclamitat; unde fit, ut omnes ad caedem verterentur, nullumque relinquerent, sed omnes perfectae aetatis neci darent, matres cum natis captivos ducerent.

53. Quod scelus imperator ulcisci gestiens, victoria iam de Ungariis patrata, regiones barbarorum hostiliter intravit. Consultum de Saxonibus, qui cum Slavis conspiraverant; iudicatum est, Wichmannum et Ecberhtum pro hostibus publicis habere oportere, caeteris vero parcere, si quidem remeare voluissent ad suos. Aderat et legatio barbarorum, tributa socios ex more velle persolvere nuntians; caeterum dominationem regionis velle tenere; hoc pacto pacem velle, alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad haec respondit, pacem quidem eis nequaquam negare, sed omnimodis dare non posse, nisi iniuriam perpetratam digno honore ac emendatione purgarent; omniaque vastando et incendendo per illas regiones duxit exercitum, donec tandem, castris positis super Raxam[2] fluvium ad transmeandum paludibus difficillimum, ab hostibus circumfunditur. A tergo namque via arborum robore obstruitur, eademque armatorum manu vallatur; ex adverso fluvius fluvioque contigua palus, et cum ingenti exercitu Slavus, bellatores et ab

1) Vox Slavica locum aut prope Albiam aut in altera Albiae ripa haud procul a Magdeburg situm fuisse indicat, ubi complures loci extant, qui aliquam vocis similitudinem praeferunt. P. 2) Recke-nitz ducatus Megalopolitani fluvius, populos quibuscum bellum erat pertransiens esse videtur.

opere et ab itinere prohibens. Vexatur autem et aliis incommodis exercitus, morbo pariter ac fame. Dum talia agerentur per plures dies, mittitur ad principem barbarorum, qui dicebatur Stoinef, Gero comes, quatinus imperatori se dedat, amicum per id adepturum, non hostem experturum.

54. Erant quippe in Gerone multae artes bonae, bellandi peritia, in rebus civilibus bona consilia, satis eloquentiae, multum scientiae, et qui prudentiam suam opere ostenderet quam ore; in adquirendo strenuitas, in dando largitas, et quod optimum erat, ad cultum divinum bonum studium. Igitur praeses super paludem et flumen, cui palus adiacens erat, barbarum salutabat. Cui Slavus aequalia respondit. Ad quem praeses: *Satis tibi esset, si bellum gereres contra unum nostrûm de servis domini mei, et non etiam contra dominum meum regem. Quis tibi exercitus, quae arma, ut talia praesumas? Si aliqua vobis virtus adsit, si artes, si audatia, date nobis locum ad vos transeundi, sive nos vobis huc veniendi; et aequato loco, fortitudo appareat pugnatoris.* Slavus barbarico more frendens, et multa convicia evomens, irrisit Geronem imperatoremque et omnem exercitum, sciens eum multis molestiis aggravatum. Gero ad haec commotus, ut erat animi ardentissimi: *Crastinus*, inquit, *dies declarabit, tu et populus tuus fortes viribus sitis, an non; cras enim nos vobiscum congredientes procul dubio videbitis.* Gero denique olim licet multis gestis insigniis clarus haberetur, iam tamen magnus ac celebris ubique praedicabatur, eo quod Slavos qui dicuntur Uchri cum magna gloria cepisset[1]. Gero reversus in castra, retulit quae audierat. Imperator vero de nocte consurgens, iubet sagittis et aliis machinis ad pugnam provocare, et quasi vi flumen paludemque transcendere velle. Slavi autem hesterna

1) cf. c. 42.

comminatione nichil aliud arbitrati, ad pugnam pariter conspiravere, iter totis viribus defendentes. At Gero cum amicis Ruanis[1] miliario ferme uno a castris descendens, hoste ignorante, tres pontes celeriter construxit, et misso nuntio ad imperatorem, totum exercitum revocavit. Quo viso barbari, et ipsi obviare legionibus contendunt. Pedites barbarorum dum longiorem viam currunt, et certamen ineunt, fatigatione dissoluti, militibus citius cedunt; nec mora, dum fugae praesidium quaerunt, obtruncantur.

55. Stoinef autem colle eminenti cum equitibus eventum rei expectabat; socios inire fugam cernens, fugit et ipse, lucoque quodam cum duobus satellitibus repertus, a viro militari, cuius vocabulum erat Hosed, certamine fatigatus armisque nudatus, capite caesus est. Satellitum alius vivus captus, imperatorique cum capite et spoliis reguli ab eodem milite praesentatus est. Ex hoc Hosed clarus et insignis habitus; merces tam famosi gesti donativum imperiale cum reditu viginti mansuum. Eo die castra hostium invasa, et multi mortales interfecti vel capti, caedesque in multam noctem protrahebatur. Postera luce caput subreguli in campo positum, circaque illud septingenti captivorum capite caesi, eiusque consiliarius, oculis erutis, lingua est privatus, in medioque cadaverum inutilis relictus. Wichmannus vero et Ecberhtus scelerum conscii in Galliam profecti, ad Hugonem ducem fuga elapsi sunt.

56. Crebris victoriis imperator gloriosus factus atque famosus, multorum regum ac gentium timorem pariter et favorem promeruit; unde plurimos legatos suscipit, Romanorum scilicet et Graecorum Sarracenorumque, per eosque diversi generis mu-

1) Rani, Ruani et Rugiani iidem sunt, variata tantum pronunciatione. MEIB.

nera, vasa aurea et argentea, aerea quoque, et mira varietate operis distincti, vitrea vasa, eburnea etiam, et omni genere modificata, stramenta, balsamum et totius generis pigmenta, animalia Saxonibus antea invisa, leones et camelos, simias et strutiones; omniumque circumquaque christianorum in illo res atque spes sitae.

57. Liudulfus autem, imperatoris filius, cum 956.
fidem vult servare amicis, patria cessit, Italiamque cum eis adiit; quo agente annum fere totum, diem 957.
extremum obiit, toto Francorum imperio relinquens Sept. 6.
suo vulnere vulnus durum. Funus autem eius a militibus debito honore curatum, et ab Italia Mogontiae corpus translatum, in basilica Albani martiris sepultum est, cum luctu et planctu multorum populorum. Reliquit post se filium patris vocabulo insignitum[1].

58. Litterae autem obitus eius allatae sunt imperatori, cum esset in militia, qua militavit contra Redarios; quapropter satis plurimum lacrimarum pro filii interitu fudit; de caetero, qui adhuc ordinavit imperium suum, rectori omnium Deo fideliter commisit.

59. Eodem tempore Wichmannus sciens Saxoniam bellatoribus vacuam, a Gallia profectus, Saxoniam occulte intravit, domum coniugemque revisit, inde se iterum alienigenis inmersit. Ecberhtus vero interventu magni pontificis Brunonis in gratiam recipitur.

60. Ductus exercitus contra Wichmannum ter- 958.
tia vice[2] vix obtinuit, ut in fide Geronis filiique sui susciperetur, ipsique apud imperatorem obtinerent, quo patria coniugisque patrimonio cum gratia imperiali frueretur. Iussus sacramentum terribile dedit, se contra imperatorem imperatorisque regnum

1) Ottonem, natum a. 954. 2) primo a Hermanno a. 955 (c. 51), secundo a rege eodem anno (c. 53).

numquam aliquid inique consilio aut actu facturum. Ita fide data, in pace est dimissus, et bonis promissionibus ab imperatore erectus.

61. Peracta caede barbarorum, eo anno prodigiosae res apparuerunt, notae scilicet crucis in vestimentis plurimorum. Quibus visis, plurimi salubri timore perculsi, adversa formidabant; idemque vitia multa ex parte emendaverunt. Fuerunt et qui lepras vestium interpretarentur, eo quod subsequens lepra multos mortales corrumperet. Sapientiores autem signum crucis salutem victoriamque praefigurasse praedicabant, quibus et nos fidelem assensum praebemus.

62. Eo tempore imperator et ipse aegrotare coepit, sed meritis sanctorum, quibus fidele iugiter obsequium praebet, maximeque patrocinio incliti martiris Viti, cui aperuit os suum, de infirmitate convalescit, et mundo ut sol lucidissimus post tenebras ad omnem decorem et delicias condonatur.

63. Rebus igitur rite compositis per omnem Franciam Saxoniamque et vicinas circumquaque
961. gentes, Romam statuens proficisci, Longobardiam perrexit. Ergo qualiter regem Longobardorum Bernharium duobus annis obsessum, cum coniuge et filiis captum, in exilium destinaverit, Romanos duobus proeliis vicerit, Romamque expugnaverit, duces Beneventorum subiecerit, Graecos in Calabria Apuliaque superaverit, terra Saxonia venas argenti aperuerit, imperiumque cum filio quam magnifice dilataverit, nostrae tenuitatis non est edicere, sed ut initio historiae praedixi[1], in tantum fideli devotione elaborasse sufficiat. Caeterum erga tuam claritatem serenitatemque, quam patris fratrisque celsitudo patriae ad omnem honorem nobisque ad solatium reliquit, magna devotio opus

1) cf. praefatio libri primi.

humile magnificet. At finis civilis belli terminus sit libelli.

64. Enimvero donatus patriae Wichmannus aequanimiter se continuit, donec imperatoris adventum speravit. Cum autem eius reversio differretur, ad aquilonales partes se contulit, quasi cum rege Danorum Haraldo[1] bellum ab integro machinaturus. At ille mandavit ei, si ducem necasset vel alium quemlibet principum, nosset sine dolo eum sibi sociare velle, aliter rem fraudulenter agitasse non dubitaret. Interea ab emptore praetereunte latrocinia eius produntur, sociorumque aliqui comprehensi, et tamquam contra publicam rem agentes, a duce dampnati, strangulo vitam perdiderunt; ipse autem cum fratre[2] vix evasit.

65. Dani antiquitus erant christiani, sed nichilominus idolis ritu gentili servientes. Contigit autem altercationem super cultura deorum fieri in quodam convivio rege praesente, Danis affirmantibus, Christum quidem esse deum, sed alios eo fore maiores deos, quippe qui potiora mortalibus signa et prodigia per se ostenderent. Contra haec clericus quidam, nunc vero religiosam vitam ducens, episcopus[3], nomine Poppa, unum verum Deum patrem cum filio unigenito domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, simulacra vero daemonia esse et non deos, testatus est. Haraldus autem rex, utpote qui velox traditur fore ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hanc fidem per semet ipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex vero custodire clericum usque in crastinum iubet. Mane facto ingentis ponderis ferrum igne succendi iubet, clericumque ob fidem catholicam candens ferrum portare iussit. Confessor Christi

1) Loquitur auctor de Haraldo cognomento Blaatand Gormonis filio. MEIB. 2) De Ecberto dicere videtur. 3) cf. Adamus Brem. II, 26; episcopatum Slesvicensem Poppo recepit.

indubitanter ferrum rapit, tamdiuque deportat, quo ipse rex decernit; manum incolumem cunctis ostendit, fidem catholicam omnibus probabilem reddit. Ad haec rex conversus, Christum deum solum colendum decrevit, idola respuenda subiectis gentibus imperat, Dei sacerdotibus et ministris honorem debitum deinde praestitit. Sed et haec virtutibus merito patris tui adscribuntur, cuius industria in illis regionibus ecclesiae sacerdotumque ordines in tantum fulsere.

66. Gero igitur comes non inmemor iuramenti, cum Wichmannum accusari vidisset reumque cognovisset, barbaris, a quibus eum assumpsit, restituit. Ab eis libenter susceptus, longius degentes barbaros crebris proeliis contrivit. Misacam regem[1], cuius potestatis erant Slavi qui dicuntur Licicaviki, duabus vicibus superavit, fratremque ipsius interfecit, praedam magnam ob eo extorsit.

963. 67. Eo quoque tempore Gero praeses Slavos qui dicuntur Lusiki[2] potentissime vicit et ad ultimam servitutem coegit, non sine sui tamen gravi vulnere nepotisque optimi viri casu[3], caeterûm quoque quam plurimorum nobilium virorum.

68. Erant duo subreguli Herimanno duci, inimicitiae a patribus vicariae relicti, alter vocabatur Selibur, alter Mistav. Selibur praeerat Waaris[4], Mistav Abdritis. Dum invicem quam saepe accusantur, victus tandem ratione Selibur, condempnatus est quindecim talentis argenti a duce. Eam dampnationem graviter ferens, arma sumere contra ducem cogitavit. Sed cum ei belli copiae non sufficerent, missa legatione, postulat praesidium ab

1) Misaca rex sive dux fuit Polonorum; Licicaviki iidem qui Lechi. 2) Lausitzer. 3) De filio, cuius mentionem facit Thietmar. l. II. (p. 30.) haec intelligenda esse, tantum non omnes minus recte statuerunt. 4) Wagrii, ducatus Holsatiae orientalis incolae, Abodritorum vicini esse videntur.

Wichmanno contra ducem. Ille nichil iocundius ducens, quam aliquam molestiam inferre posset patruo, cito cum sociis adest Slavo. Ut autem suscipitur in urbem Wichmannus, statim urbs obsidione vallatur ab inimico. Ductus quoque exercitus a duce urbem obsedit; interim, casu nescio an prudenti consilio, Wichmannus cum paucis urbem est egressus, quasi ad extrahenda sibi de Danis auxilia. Pauci dies intererant, dum victus bellatoribus et pabulum iumentis defecerat. Fuerunt etiam qui dicerent, Slavum speciem quidem belli gessisse, non verum bellum; incredibile omnimodis fore, hominem a puero bellis assuetum bellicas res tam male praeparatas habuisse; sed id consilii machinatum ducem, ut quoquo pacto posset nepotem vinceret, ut saltem in patria salutem recuperaret, quam inter paganos penitus perdidisset. Fame itaque urbani ac foetore pecorum aggravati, urbe egredi sunt coacti. Dux Slavum austerius alloquens, de perfidia et nequam eius actibus arguit; hocque ab eo responsi accepit: *Quid me*, inquit, *de perfidia arguis? Ecce quos nec tu, nec dominus tuus imperator vincere potuistis, mea perfidia inermes assistunt.* Ad haec dux conticuit, eum suae ditionis regione privans, filio ipsius, quem antea obsidem accepit, omni ipsius potestate tradita. Milites Wichmanni variis poenis afflixit, urbis praedam suis militibus donavit, simulacro Saturni[1] ex aere fuso, quod ibi inter alia urbis spolia repperit, magnum spectaculum populo praebuit, victorque in patriam remeavit.

69. Audiens autem Wichmannus urbem captam sociosque oppressos, ad orientem versus iterum se paganis inmersit, egitque cum Slavis qui dicuntur Vuloini[2], quomodo Misacam, amicum imperatoris,

1) Saturnum glossae Boemicae ab Hanka editae Sytiwrat appellant.
2) Slavos Wilinos afferunt Adamus Brem. II. c. 10. et Helmoldus I, 2;

bello lacesserent; quod eum minime latuit. Qui misit ad Bolizlavum regem Boemiorum — gener enim ipsius erat[1] — accepitque ab eo equitum
967? duas acies. Cumque contra eum Wichmannus duxisset exercitum, pedites primum ei inmisit; cum-
Sept. 21. que ex iussu ducis paulatim coram Wichmanno fugerent, a castris longius protrahitur, equitibus a tergo inmissis, signo fugientes ad reversionem hostium monet. Cum ex adverso et post tergum premeretur Wichmannus, fugam inire temptavit. A sociis igitur arguitur sceleris, quia ipse eos ad pugnam instigaverit, fidensque equo, cum necesse fuerit, fugam facile inierit. Coactus itaque equo cessit, pedestris cum sociis certamen iniit, eoque die viriliter pugnans armis defenditur. Ieiunio autem et longiori via, qua per totam noctem armatus incessit, mane cum paucis admodum aream cuiusdam iam fessus intravit. Optimates autem hostium cum eum repperissent, ex armis agnoscunt, quia vir eminens esset, interrogatusque ab eis quisnam esset, Wichmannum se fore, professus est. At illi arma deponere exhortati sunt; fidem deinde spondent, salvum eum domino suo praesentari, hocque apud ipsum obtinere, quatinus incolumem imperatori restituat. Ille licet in ultima necessitate sit constitutus, non inmemor pristinae nobilitatis ac virtutis, dedignatus est talibus manum dare; petit tamen, ut Misaco de eo adnuntient, illi velle arma deponere, illi manus dare. Dum ad Misacam ipsi pergunt, vulgus innumerabile eum circumdat, eumque acriter inpugnat. Ipse autem quamvis fessus, multis ex eis fusis, tandem gladium sumit, et potiori hostium cum his verbis tradidit: *Accipe*, inquit,

recentiores ad lacum Bellinensem et urbem Fehrbellin eorum sedes collocaverunt. 1) *Hic* (M.) *a Boemia regione nobilem sibi uxorem senioris Bolizlavi duxerat sororem; — Bobrawa — Slavonice dicebatur*, Thietmar. IV. (p. 97.)

hunc gladium, et defer domino tuo, quo pro signo victoriae illum teneat, imperatorique amico transmittat, quo sciat aut hostem occisum irridere vel certe propinquum deflere. Et his dictis, conversus ad orientem, ut potuit, patria voce Dominum exoravit, animamque multis miseriis et incommodis repletam pietati Creatoris omnium effudit[1]. Is finis Wichmanno, talisque omnibus fere, qui contra imperatorem arma sumpserunt [patrem tuum].

CONTINUATIO.

70. Imperator itaque acceptis armis Wichmanni, 968. de nece eius iam certus factus, scripsit epistolam ad duces et praefectos Saxoniae in hunc modum: *Oddo divino nutu imperator augustus, Herimanno et Thiadrico ducibus caeterisque publicae rei nostrae praefectis omnia amabilia. Deo volente, salus omniaque prospera plane succedunt. Caeterum nuntii Constantinopolitani regis, dignitate satis insignes, nos adeunt, pacem, ut intelleximus, admodum quaerentes. Quoquo modo tamen res agatur, bello, Deo volente, nullo modo nos temptare audebunt. Apuliam et Calabriam provincias, quas hactenus tenuere, nisi conveniamus, dabunt. Si vero voluntati nostrae paruerint, ut praesenti aestate coniugem cum aequivoco nostro in Franciam dirigentes, per Fraxanetum ad destruendos Sarracenos, Deo comite, iter arripiemus, et sic ad vos, disponimus. Praeterea volumus, ut si Redares, sicut audivimus, tantam stragem passi sunt — scitis enim, quam saepe fidem fregerint, quas iniurias attulerint, — nullam vobiscum pacem habeant. Unde haec cum Herimanno duce ventilantes, totis viribus instate, ut in destructione eorum finem operi inponatis. Ipsi, si necesse fuerit, ad eos ibimus. Filius noster in nativitate Domini coronam a beato aposto-*

1) Necrol. Luneburgense (Wedekind Not. III. p. 70.) X. Kal. Oct. (22. Sept.): *Wichmannus comes et multi alii occisi et Hoico occisus.*

lico in imperii dignitatem suscepit. Scripta 15. *Kal. Febr. in Campania iuxta Capuam.*

His litteris lectis in conventu populi, in loco qui dicitur Werla, coram principibus et frequentia plebis, visum est, pacem iam datam Redariis oportere stare, eo quod tunc bellum adversus Danos urgeret, et quia copiae minus sufficerent ad duo bella pariter conficienda.

969. 71. Graecorum itaque legatis imperator satis credens, partem exercitus cum plerisque principalibus viris direxit ad condictum locum, quo eis secus sponsionem legatorum puella traderetur, et cum honore filio adduceretur. Graeci vero ad artes paternas conversi — nam erant ab exordio fere mundi plurimarum gentium domini, et quos virtute nequibant, artibus superabant — subito super inprovisos et nichil adversi suspicantes irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, quos et Constantinopolim imperatori suo praesentant. Qui vero effugere poterant, reversi ad imperatorem, quae acta sunt nuntiant.

Sept. 72. At ille super his commotus, ad hoc dedecus diluendum cum gravi manu viros eminentes, domesticis et externis rebus iam saepe claros factos, Guntharium et Sifridum mittit in Calabriam. Graeci autem praeterita victoria elati et minus cauti, ceciderunt in manus eorum; ex quibus innumera multitudine caesa, quos supererant capientes, obtruncatis naribus, novam Romam remeare permiserunt. Tributum in Calabria et Apulia a Graecis extorserunt, talique victoria illustres facti, et spoliis hostium ditati, ad imperatorem reversi sunt.

73. Populus autem Constantinopolitanus audiens a suis male pugnatum, consurrexerunt adversus imperatorem suum, et machinatione coniugis propriae cuiusdam militis insidiis occiderunt, locoque

domini militem imperio designantes[1]. Constitutus
autem rex continuo captivos absolvit, puellam cum
magno exercitu et claris muneribus ad imperatorem
destinavit. Quam ipse statim filio tradidit, celebra- 972.
tisque magnifice nuptiis, omnem Italiam super hoc
et Germaniam laetiores reddidit. Eo tempore, quo
haec intra Italiam gerebantur, summus pontifex
Wilhelmus, vir sapiens et prudens, pius et cunctis
affabilis, a patre sibi commendatum regebat Francorum imperium.

74. Cuius mater licet peregrina, nobili tamen
erat genere procreata[2]. Hic cum audisset, aegrotare coepisse matrem imperatoris, mirae sancti-
tatis feminam, nomine Mahthildam, dumque eius 968.
expectat funus, proprio funere ipsius funus procedit. De cuius laude si aliquid dicere cupimus, deficimus, quia omne argumentum ingenioli nostri superat virtus tantae feminae. Quis enim digne possit explicare eius vigilantiam erga cultum divinum? Omnis nox[3] omnibus modis et omni genere cellulam suam divinorum carminum melodia inplebat. Erat enim ei cellula ecclesiae proxima, in qua modice requiescebat; de qua omnibus noctibus consurgens intrat ecclesiam, nichilominus cantoribus et cantricibus intra cellulam et pro foribus et in via triformiter constitutis, qui divinam clementiam laudarent atque benedicerent. Ipsa intra ecclesiam in vigiliis et orationibus perseverans, missarum sollempnia expectabat. Deinde infirmos ubicumque audivit in vicino visitavit, necessaria praebuit, deinde pauperibus manum porrexit, deinde hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit;

1) Imperator Nicephorus Phocas uxoris Theophanu insidiis a Ioanne Tzimiske d. 11. Dec. 969 occisus est; Iohannes imp. constitutus Theophanu, uxoris suae neptem, Romani II. filiam, transmisit.
2) Natus a. 928. (Cont. Reg.)
3) cf. Vita Mathildis §. 12. §. 6, ubi similia narrantur.

neminem sine affatu blando dimisit, nullum fere sine munusculis vel necessariis adiumentis vacuum reliquit. Saepe viatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nichil de honore regio minuebat, et sicut scriptum est, quamvis sederet tamquam regina circumstante populo, semper et ubique tamen erat moerentium consolatrix. Domesticos omnes famulos et ancillas variis artibus, litteris quoque instituit; nam et ipsa litteras novit, quas post mortem regis lucide satis didicit. Ergo si omnes virtutes eius velim narrare, hora deficeret; facundia Homeri vel Maronis michi si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis et elemosinis, cunctis divitiis regalibus distributis servis Dei et ancillis ac pauperibus, secundo Idus Martias animam Christo reddidit. Illo quoque tempore Bernhardus, ut ab omni populo praedicabatur suis temporibus sacerdotio dignissimus, diem funxit extre-
Febr. mum. Piam famam super his nemo nos vituperet
2. v. 3. prodidisse, dum veri periculo non subcumbimus. Audivimus enim a quodam solitario, in spiritu nescio an manifesta visione, animam reginae et episcopi infinita multitudine angelorum cum gloria ineffabili coelos deferre vidisse.

75. Igitur imperator audita morte matris et filii caeterorumque principalium virorum — nam et Gero, vir magnus et potens, iam antea defunctus est —, iudicavit ab expeditione Fraxaneti abstinere, et dispositis in Italia rebus, patriam remeare. Pulsavit quoque fama eum, quasi plerique Saxonum rebellare voluissent; quod quia inutile
972. erat, nec relatione dignum arbitramur. Egressus est itaque de Italia cum magna gloria, capto rege Longobardorum, superatis Graecis victisque Sarracenis; cum victricibus alis Galliam ingressus est,

inde Germaniam transiturus, et proximum pascha loco celebri Quidilingaburg celebraturus, ubi diver- 963.
sarum gentium multitudo conveniens, restitutum patriae cum filio cum magno gaudio celebrabant. Manens autem ibi decem et septem non amplius diebus, descendit inde, ascensionem Domini apud Mersburg celebraturus. Tristis autem illa loca perambulat, obitu optimi viri ducis Herimanni, qui prudentiae ac iustitiae miraeque vigilantiae in rebus civilibus et externis, cunctis retro mortalibus aeternam reliquit memoriam. Post susceptos ab Africa legatos, eum regio honore et munere visitantes, secum fecit manere. Tertia autem feria ante pentecosten, locum devenit qui dicitur Miminlevu. Proxima nocte iuxta morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis et matutinis laudibus intererat. Post Mai. 7.
haec paululum requievit. Missarum deinde officiis celebratis, pauperibus iuxta morem manus porrexit, paululum gustavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora esset, processit laetus et hilaris ad mensam resedit. Peracto ministerio, vespertinis laudibus interfuit. Peracto cantico euangelii, aestuari atque fatigari iam coepit. Quod cum intellexissent principes circumstantes, sedili eum inposuerunt. Inclinantem autem caput, quasi iam defecisset, refocillaverunt, expetitoque sacramento divini corporis ac sanguinis et accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum spiritum cum divinis officiis pietati Creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum; et cum esset iam sero, nuntiatur populo mors eius. Populus autem pro eius laude et gratiarum actione multa locutus, memoravit, eum paterna subiectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Avares, Sarracenos, Danos, Slavos armis vicisse, Italiam subiugasse, delubra deorum in vicinis gentibus destruxisse, templa ministrorumque ordines

constituisse; multaque alia bona invicem conferentes, regali funeri insistebant.

76. Mane autem iam facto, licet iam olim unctus esset in regem et a beato apostolico designatus in imperatorem, spei unicae totius ecclesiae, imperatoris filio, ut in initio certatim manus dabant, fidem pollicentes et operam suam contra omnes adversarios sacramentis militaribus confirmantes. Igitur ab integro ab omni populo electus in principem, transtulit corpus patris in civitatem, quam ipse magnifice construxit, vocabulo Magathaburg. Itaque defunctus est Nonis Maii, quarta feria ante pentecosten, imperator Romanorum, rex gentium, divinarum humanarumque rerum multa ac gloriosa saeculis relinquens monimenta.

EXPLICIT LIBER III. RERUM GESTARUM SAXONICARUM.